



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

Pars Secvnda. De Meditandi Actv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)



PARS SECVNDA,
DE MEDITANDI
ACTV.

PROOEMIUM.

PERVENIMVS, adiuuante
Spiritus sancti gratia, ad ipsum
Meditandi actum, in hac altera parte
explicandum. Et quia mente, ut di-
ctum est, exercetur, cuius dua sunt
partes, Intellectus & voluntas, iis
nunc quoque adiungo Memoriam.
Nam Augustinus libro 12. de Tri-
nitate, capite 11. eam mentis poten-
tiis annumerat. Et quoniam dicta
tres potentie vim suam exerunt, cir-
ca Personas, quæ Meditationi in-
terueniunt, earundem verba, quæ
loquun-

loquuntur, & actiones quas exercent, Secunda hac pars in varios Tra. Etatus diuidetur. Caterum, quoniam hac, quae dicta sunt in scripturis diuinis continentur: principio agemus de sensu eius literali.

T R A-



de
ill
m
bi
op
fa
ch
tu
lon
aa



TRACTATUS PRIMVS.
DE DIVINÆ SCRIP-
TURÆ SENSU.

*Quid sit diuinæ scripturæ sensus, &
quotuplex?*

CAPVT I.



VM diuina scriptura, vt dictum
est, ordinata debeat esse Me-
ditationum nostrarum mate-
ria, & ideo, cognito eius sensu,
ea documenta ex illa haurire
debeamus, quæ eius auctor Spiritus sanctus
illi ad doctrinam nostram inclusit, vt affir-
mat S. GREGORIUS in moralibus his ver-
bis. *Quasi quoddam speculum mentis oculis
opponitur diuina scriptura, vt interna nostra
facies in ipsa videatur, ibi enim sæda, ibi pul-
chra nostra cognoscimus: ibi sentimus, quan-
tum proficimus; ibi docemur à profectu quam
longe distemus. Dum narrat gesta Sanctorum,
ad imitationem corda prouocantur infirmo-*

*rum. Dum illorum victricia facta commemo-
rat contra vitiorum praelia debilia nostra con-
firmat, necessarium est explicare, quid sit
sensus scripturæ, & quotuplex. Quod hoc
capite præstabo, illudq; in duas distribuam
partes. In prima docebo, quid vocabulo sen-
sus diuinæ scripturæ intelligatur. In secun-
da quot sint sensuum genera.*

PRÆTERMISSIS autem variis interpreta-
tionibus, vna tantum cæteris faciliore &
clariore, quæ à quibusuis commodè perci-
pi queat, ero contentus. Dico ergo, non esse
aliud, quam conceptum, quem **DEVS** scri-
pturæ auctor habet in suo intellectu. Itaq;
assequi sensum alicuius scripturæ loci, est
eandem eius habere intelligentiam, quam
habet **DEVS** ipse. Sic loquitur Apostolus ad
Corinthios scribens. *Non sensum Christi ha-
bemus.* quasi diceret, scripturam intelligimus,
sicut intelligit Christus. Et **S. Ioannes** Eu-
angelista. *Dedit nobis sensum, ut cognoscamus
Verum DEVM.* alludens forte ad illud, quod
Luc. 24. **S. Lucas** refert. *Aperuit illis sensum, ut intelli-
gerent scripturas.* Dixi sacre scripturæ au-
ctorem esse **DEVM**, quia ita asseuerat Apo-
1. Tim. 2. stolus in epist. 2. ad Timotheum dicens: *O-
mnis scriptura diuinitus inspirata.* & **S. Petrus**
2. Pet. 1. in 2. epistola. *Non enim voluntate humana
allata*

allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt S. DEI homines. Qui sancti tantum fuerunt Spiritus sancti scribæ, & Secretarii, imo minus vt ex parte sua de se testatur propheta Dauid, vocans se calamum scribæ. Lingua mea inquit, calamus scribæ & velociter scribaris. Psal. 44.

QVOD ad alteram partem attinet, sensum sic definitum. dico diuidi in Historicum, vel literalem, & Mysticum, vel Spiritualem. Mysticus vero diuiditur in tres alios, Allegoricum, Anagogicum, & Tropologicum vel moralem. Verum de his non agam hoc loco: nam secundum illos meditationem instituere nimis arduum foret Tyronibus & Incipientibus. Literalis rursus solet diuidi in Proprium, & Translatum Proprius item in Primarium, & secundarium, de quibus omnibus differemus in capitibus sequentibus.

De sensu litterali Proprio.

C A P. II.

SCIENDVM est, ob vocabulorum inopiam, rerumque significandarum copiam, veteres vno eodemque vocabulo res varias propriè appellasse, significatu partim primario, partim secundario.

Primaria significatio fuit, qua res vocabulo aliquo primo loco appellata est, vt v. c. verbum *Colligo*, primo vsurpatum fuit, vt significaret actum res dispersas in vnū locum congerendi. Secundaria vero est, qua res aliqua eodem vocabulo posterius appellata est, vt cum dicimus aliquem colligere alium, cum eum recipit hospitio. Vbi notandum est secundariam significationem habere affinitatem quādam cum primaria, vt liquet ex allato exemplo, qui n. peregrinum hospitio recipit, quasi vagam & dispersum in domum suam congerit.

CVM ergo Meditationem, verbi causa, instituis de illis Christi verbis apud Matth.
Matth. 23. Hospes eram, & collegistis me. mente in hunc modum ratiocinabere. Primariū significatum verbi COLLIGENDI, est res multas dispersas in vnum cogere, quo sensu apud B.
Iuan. 8. Ioannem dicitur. Colligite, quae superauerūt fragmenta, ne pereant. Et subiungitur. Collegerūt, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum. Vnde concludes secundario significato, Hospitio excipiēdi, hanc subiectā sententiam, vt peregrinus recipiatur in propriam domum, & non ablegerur foras, vt comedat cum famulis: & sicut omnia fragmenta, tam parua quā magna collecta sunt

sunt in cophinis, sic peregrinus suscipiatur ad propriam Domini mensam. Huic expositioni adiunges S. GREGORII Papæ exemplum, quod hodieq; imitatur sanctissimus D. N. CLEMENS VIII. quotidie. n. tot pauperes in prandio mensæ adhibet, quot annos in Pontif. exegit, postq; aquam singulorum manib. affudit, aliaq; ministeria exhibuit.

ILLUD quoque notandum, vnum eundemque scripturæ locum aliquando posse habere plures sensus Litterales, & proprios ut docet B. AUGUSTINVS libr. 12. Confession. cum ait prima verba Genesios. *In principio creauit Deus caelum & terram*: tres litterales habere sensus. vt primus sit de principio tēporis, secundus de principio operū creatorum. tertius de filio DEI, per quē Deus omnia condidit. In Apocalypsi enim se vocat Principium, dicēs. *Ego sum alpha, & omega, principium & finis*. Quoties ergo vnum litteralem sensum loci alicuius inueneris, coneris extorquere & alterum. Sic quidam Doctor conatus est facere super Quæstione à B. Virgine posita angelo, apud B. LUCAM. *Quomodo fiet istud*. Qui præter communem verborum illorum sententiam, quod B. Virgo non de facto, sed modo tantum addubitarit, excogitauit & aliā, quod

Anno
1604.
agabat
13. an-
num.
Cap. 20.

Apoc. 1.

Luc. 1.

G I nimi-

nimirum Beatiss. Virgo minime ignara Sathanam, se nonnunquam solere transfigurare in angelum lucis, voluerit expiscari, essetné Spiritus bonus, an malus? Nam cum versata esset in diuinarum litterarū lectione, probè norat satis in illis insinuari, quis futurus esset incarnationis modus, & idcirco, inquit dictus Doctōr, cogitabat illa secum, si mihi iste modum prodat in diuina scriptura indicatum, iam pro Dēi legato illum habebō.

De sensu Litterali figurato.

C A P. III.

SENSUS Litteralis figuratus est, quando voci tribuitur significatio, quæ ex prima origine illi non competit. Exempli causa, nomen LEONIS à prima sua origine usurpatum est ad denotandum animal ferox & siluestre. S. Ioannes vero in sua Apocalypsi, cū ait. *Vicit Leo de tribu Iuda.* usurpauit in significatione impropria ad denotandū Christū resuscitatum. Itaq; sensus litteralis hic non est, qui prima institutione vocis LEO significatur, sed qui metaphorica acceptione designatur, vt sensus sit. **VICIT CHRISTVS de tribu Iuda.**

Apoc. 5.

Neq; ad intelligendā sacram scripturam
parui

parui interest, posse discernere sermonem proprium à figurato, vt docuit nos suo exemplo Samaritana; quæ ignara huius discriminis, simulatque Dominum audiuit dicentem, se posse ei porrigere aquam, quæ sitim perpetuo restinguat, stupore defixa dixit. *Domine, neq; in quo haurias habes: & puteus altus est: Unde ergo habes aquam?* existimans Christum vocem *AQUÆ* in propria significatione vsurpasse.

Ioan. 4.

Imo S. Augustinus alicubi asseuerat periculose errari in diuina scriptura, quando vox propria, accipitur pro translata, vel cōtra: vti faciebant hæretici, qui sensu proprio, non metaphorico exponebant illud dictum Christi apud B. Matthæum. *Et sunt*

Matt. 19.

Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum caelorum. & simul hæc documenta, ad cognoscendum discrimen, subiungit. *Quicquid neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem referri potest, accipiendum est figuratè.* Et paulo post. *Si praeceptiua est scriptura locutio, & videtur iubere flagitium, & virtutem vetare, figuratè accipiendum est. Si autem flagitium vetat, aut beneficentiam iubet, tunc proprie accipienda est.* Exēpli autē loco adducit verba illa Prouerbio-
rū Salomonis. *si esurierit inimicus tuus, ciba.* Prou. 25.

G 4 illumi

illum: & si sitierit, potum da illi. Sic enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.
 Ac dicit, priora verba. *Si esurierit inimicus tuus, &c.* exponenda in sensu proprio: posteriora vero, *carbones ignis congeres super caput*, in translato. Nemo enim dubitare potest, peccaturū, qui carbones ignitos cōgereret in caput sui inimici. In translato autem sensu verba illa hāc habent subiectam sententiam. Si inimico tuo hoc beneficium prāstiteris, vt cibum porumq̄, necessarium ei subministras, ex vehementia doloris & compunctionis de suo peccato, tantos edet clamores, ac si igniti carbones in caput eius incidissent, & mox conciliabitur tibi, & tu eum lucrifacies Christo Saluatori.

*De nonnullis diuina scriptura
 Figuris.*

C A P. I V.

ETIAMSI quamplurimā in vtraque tam noui, quam veteris testamenti scriptura extent figuræ, adeoque omnes quarum Rhetores in præceptis artis suæ meminerunt, vt allatis exemplis ostendit Ludouicus Carbo in sua Rhetorica diuina, ego tamen paucas tantum quasdā, idque ex Euangelio
 maxi-

maxime decerptas, (eo q̄ de illo fere medi-
tari soleamus) producam. Si vnum prius te
monuero, sacram scripturā non uti figuris
ad res amplificandas, vel ad oblectandos
Lectores, uti faciunt Scriptores prophani,
ut obseruauit B. GREG. Nazianzenus in A-
polog. dicens. *Neque nobis in mentem Veniat
inanem quandā scripturā rerum Verborumq̄
turbam esse oblectandorum auditorum causa
compositam, atque constatam esse, aut Velut
quandam aurium illecebram, nequaquam
Ultra Voluptatem se porrigentem. Sint hi sane
fabularum, & prophanarum hominū ludi, qui
de Veritate parum solliciti, figmentorum Venus-
tate, Verborumque lenocinio, quasi prestigijs
quibusdam aures, animosq̄ ludificantur. Ve-
rum potius iis vitur ad eam quodammodo
deprimendā, & veste quasi sensibus obiecta
vestiendā, ut facilius à nobis caperetur, sicut
figillatim de Parabolis. tomo primo Operū
suorum declarat R. P. Alphonfus Salmeron.*

PRIMA ergo fit, quæ vulgo dicitur HY-
PERBOLE, qua rem aliquam admodum ser-
mone exaggeram⁹, sic ut aliud intelligatur,
quam verba sonent. Duo ponam exempla:
alterum ex veteri, alterum ex nouo testa-
mento. In Genesi cap. ii. quidam dicebant.
*Faciamus turrim, cuius culmen pertingat ad
G s celum.*

caelum. Cui modo loquendi non hæc subest sententia, *turrim illam vere debere contingere caelum,* sed rãtum, quod in summam altitudinem educi debeat, vt exponit P. Benedictus Pererius *Hyperbolem* quoq; Maldonatus esse arbitratur in verbis B. Ioannis c. vlt. *Sunt autem & alia multa, qua fecit IESVS quasi scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libri.* Hinc ergo liquet verba aliquãdo aliud significare, quam præ se ferãt. Iam restat ostendere, aliquãdo ea designare contrariũ.

SECUNDA enim figura dicitur I R O N I A, qua contrarium significatur, quã verba exprimũt. maximè si adiungatur iis nutus vel signũ quo contemptus, vel ludibriũ denotetur. Cuiusmodi fuere, quæ DAVS Adamo post lapsum dixit, in Genesi *Ecce Adã quasi vnus ex nobis factus est.* Alludebat enim ad verba serpentis vel dæmonis *Eritis sicut Di.* Itaque sensus erat. Non est factus Adamus Deus, sicut nos, quod ei promiserat Sathan, sed prorsus contrarium. Theophylactus similiter notauit Ironiam in verbis Christi ad Apostolos in horto dicentis apud Marcum.

Marc. 14. Dormite iam, & requiescite.

TERTIA sit ANTIPHRAISIS, quæ etiam significat contrariũ, sed nullo adiecto signo qualis fuit in sermone vxoris Iob dicentis.

Dine.

Benedic Deo, [Et] movere. id est, maledicili. Ex quo modo loquendi colligere licet, quā abominanda res fuerit priscis illis temporibus maledicere DEO, ut nec voce maledicendi ausi fuerint homines uti, sed cōtraria. sed quid mirum de hominib. cum nec ipse sathan ausus fuerit. Nam quodam die loquens cum DEO Iobi virtutem laudante, respondit. *Tange os eius, [Et] carnem, [Et] tunc videbitis, quia in faciē benedicat tibi.* Quod autem hoc documentum valeat ad cauendam contra DEVM blasphemiam patet ex epistola B Iudæ Apostoli sic loquentis. *Cum Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus inferre iudicium blasphemix, sed dixit. Imperet tibi Dominus.* Videntur quoq; antiphrafin sapere verba Christi apud s. Matthæum de B. Ioanne Baptista dicentis *Quid existis in desertum videre arundinē vento agitata[m] sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum?* Voluit enim contrarium significari. nam subiungit. *Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.*

QUARTA est PERIPHRAISIS, qua duobus verbis explicatur, vel pluribus, quod solet exprimi vnico. Et ideo vocatur quoq; *Circumlocutio.* Talis est formula loquendi sponsæ in Canticis. *Indica mihi, quem diligit*

anima

anima mea. id est, diligo. Vnde S. Bernardus sermone 33 colligit, quod dilexerit sponsum amore spirituali. Non simpliciter dicit, quem diligo, sed inquit, Quem diligit anima mea, spiritualem designans dilectionem, Periphrasis quoq. est, quod S. Matthæus refert de Christo, dicens. Aperiens os suum, docebat eos. Vnde Augustinus libro primo de sermone Domini in monte elicit binas explanationes perbellas, dicens. Ista circumlocutio fortassis ipsa mora commendat aliquanto longiorem futurum sermonem: nisi non vacet, quod tunc dictum est, APERIENS OS SVVM, quod ipse in Lege aperire solet ora prophetarum.

Matt. 5.

Matt. 5.

QVINTA sit METAPHORA, qua voces à proprio significato ad aliud transferuntur. Qualis est in verbis Christi apud Matthæum ad Apostolos dictis. Vos estis sal terra. Voluit enim dicere. Vt quemadmodum sal seruat carnes à corruptione, sic ipsi mundum præseruarent à corruptione peccati, vt exponit S. HILARIUS canone 4. Hic igitur, inquit, in omnem usum humani generis effectus, incorruptionem corporibus, quibus fuerit aspersus, impertit. Apostoli autem sunt rerum celestium prædicatores, Et aternitatis velut satores immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit,

conferentes. METAPHORA, quoque est in verbis prophetæ Amos cap. 5. dicentis. *LEORUGIET, quis non timebit?* Et S BERNARDVS sermone primo de resurrectione applicat ad Christum.

SEXTA est SIMILITUDO, quæ una res cum alia confertur, cuiusmodi est illa apud S. PETRUM. *Fratres sobrii estote, & Vigilate,* 1. cap. 5. *quia aduersarius vester diabolus tanquam LEORUGIENS circuit querens quem deuoret.* Et in Psalmis *Sicut ceruus desiderat ad fontes,* Psal. 42. *aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEVS.* Differt similitudo à metaphora, quod sensus litteralis eius sit, quem verba demonstrant. Itaque illa S. Petri similitudo hunc sensum habet. Dæmonem haud secus circuire hominem, quam Leo domicilia bestiarum.

SEPTIMA sit PARABOLA, & est sermo confictus, & longus. quæ duplici conditione discrepat à similitudine: quia hæc semper est de re vera. verum enim est ceruum desiderare aquas: & potest esse breuis, vti est hæc. *Fulgebunt iusti sicut scintilla.* Sap. 3.

OCTAVA vocatur SYNECDOCHE, quando ex vna re alia significatur, siue maior, siue minor, hoc est, quando pars pro toto, vel contra accipitur. siue sit integrale, vt est
corpus

110 INSTRVCT. DE MODO

corpus ex membris compositum, siue essentialiale, vt est homo constans anima & corpore, siue totum genericum diuisum in suas species, vt animal in hominem, & brutum, siue vniuersale, quod diuiditur in particularia. Demus exempla. Primi, sit hoc dictum, vulgare. *Quot capita, tot sententia.* Secundi dictum B. Magdalenæ. *Tulerunt Dominum meum.* intelligebat enim corpus tantum, quod est pars essentialis hominis. Et illud S. Pauli. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Anima enim pro homine accipitur. Et illud. *Gratia Domini IESV CHRISTI cum spiritu vestro.* Omnes autem hæ loquendi formulæ circa hominem, inquit ORIGENES, libro 9. in epist. ad Romanos, institutæ sunt ad designandos varios eius status. *Interdum, inquit, per animam, interdum per carnem, interdum per Spiritum homo nominatur, sed cū à parte nobiliori nominandus est, quasi qui spirituali intelligi debeat, SPIRITVS dicitur quando ab inferiori, ANIMA. cum vero à deteriore nominatur, CARO dicitur.* Et allegat illud ex epistola ad Galatas. *Manifesta sunt opera carnis.* Et addit. *Fructus autem spiritus, id est, hominis spiritualis, & spiritu viuentis.* Eandem considerationem habet S. HIERONY-


MYS

Rom. 13.
Gal. 6.

Gal. 6.

Gal. 5.

MEDITANDI PARS II. III

M vs lib. 3. com in epist. ad Galatas, in verba
 exc. 6. ad Gal. paulo ante citata. *Fratres, in-*
quiens, nequaquam cum carne, nequaquam cū
anima, siue quia spirituales facti, caro & ani-
ma esse distiſti u, siue q̄ in principali ēt ea, qua
minora sunt, comprehenduntur. Anima. n. &
caro subiecta sunt spiritus. EXEMPLVM TOTIUS
 generici, quando p̄ specie accipitur, legitur
 Genesis cap. 3. vbi EVA appellatur M A T E R
Viuentium, quod est genus conueniens in
 omnes species, etiam animantium bruto-
 rum, plantarumq; pro eo, quod diceremur.
Mater hominum. Et contra accipi possunt
 verba illa 6. Genesis. *DELEBO hominē, quem*
creaui. pro, Delebo omnia animalia, nam
 paulo post subiicit. *Ab homine & q̄ ad ani-*
malia EXEMPLVM deniq; totius vniuersalis,
 positum loco particularis legitur apud Za-
 chariam. *Lanceis suis vulnerauerūt me.* Lan-
 ceis, pro lancea. vna enim tantum Christus
 fuit transfixus. Eodem modo loquitur &
 propheta in Psal. 2. *Astiterunt reges terra, &*
principes conuenerunt in vnum iudicare vo-
 lens solum Herodem, & Pilatum Præsidem,
 qui occasione mortis Christi amici facti
 sunt, cum ante se mutuo odissent. 

AD HANC synecdochen pertinet & illa
 loquēdi formula, qua antecedētia ponūtur

Act. 1.

Pro consequentibus. vt quando B. Petrus in Locum Iudæ alium Apostolum substitui voluit. Oportet, inquit, ex his viris, qui nobiscum sunt, in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus IESVS, incipiens à baptismo Ioannis, & usque in diem, qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. ac si dixisset. Conuenit aliquem eligi, qui fuerit Christo familiaris, est enim familiaris conuersationis signum & effectus.

2. Thess.
c. 2.

POSTREMA Figura vocatur METONYMIA, id est, nominum commutatio, quæ fit inter ea quæ habent aliquam inter se affinitatem, vt habet causa cum effectu, & continens cum contento. Solet enim scriptura effectum appellare nomine suæ causæ, vel efficientis, vel formalis, vel finalis, vel etiam materialis. Exemplum efficientis est in verbis illis Apostoli, *spiritum nolite extinguere*, id est, gratiam, quæ est spiritus sancti effectus. Ex quo modo loquendi, potest homo colligere, quando homo peccando extinguit gratiam, eum non solum iniurium esse in illam qualitatem creatam supernaturalem: sed et, & præcipue in spiritum sanctum eius auctorem: haud secus quàm Dauid fuit, qui cum in vitam Viræ. & honorem

Berth-

Berhsabee deliquisset, tamen veniam deprecando à Deo, dixit. *Tibi soli peccavi.*

CAUSÆ Materialis exemplum est in dicto B. PETRI ad claudum in actis Apostolorum. *Argentum & aurum non est mihi.* Act. 3.

pro, nulli mihi nummi sunt vel aurei vel argentei. V SVRPAT quoq, scriptura nomen effectus pro causa, vt apud Ieremiam. *Ascendit MORS per fenestras.* pro, ascendit peccatum. *MORS enim est peccati effectus, vt docet B. PAVLVS. Et per peccatum mors.* Rom. 5.

Eiusdem generis est Simeonis dictum ad B. Virginem. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* vbi gladius ponitur pro dolore. Luc. 2.

QVOD ad alterum membrum attinet, vt contentum nomine continentis appelleretur, exemplum habemus in verbis Christi ad Phariseos dictis. *Va vobis, qui comeditis domos & iduarum.* vbi domos accipit pro facultatibus in iis contentis, vt sensus sit Phariseos omnes earum opes deuorasse. Sic intel- liget & illud dictum Domini ad S. Petrum. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* hoc est, dolores, pœnas, acerbissimos cruciatus quos desidero sustinere in sacratissima passione, nec secus quam calicem pretioso liquore repletum vsque

H ad vlti-

ad ultimam guttam ebibere: & quidem instar eorum, qui cum calicem ebiberint, ob nimiam qua premuntur sitim, lambere non cessant calicem. Denique utitur quoque scriptura contento pro continente. unde dicit S. Ioannes. *Et mundus eum non cognouit.* hoc est, homines qui sunt in mundo.

Quenam iuuent ad S. Scripturarum intelligentiam.

C A P. V.

BREVITER hic recensebo præsidia, quæ S. Patres ad percipiendum litteralem scripturæ sensum vel necessaria, vel admodum utilia censuere Scribit B. AVGVSTINVS libro 2. de doct. Christ. cap. 31. ad cognoscendam verborum proprietatem imprimis iuuare peritiam Grammatices, non latinæ modo, sed etiam Græcæ & Hebrææ. secundario verò & Rethoricæ, ad intelligendas figuras supra dictas. Addit prodesse quoque Philosophiam, cuius beneficio intelliguntur naturæ, rerumque naturalium proprietates, quæ cognitio necessaria est ad intelligendas metaphoras. Denique & Theologiam, quia fidei mysteria, in ipsa scriptura inclusa accuratè exponit.

NEQ.

NEQVE dictæ scientiæ cum suis subtilitatibus & illecebris ideo respuendæ sunt, quod occasionem aliquam distractionibus præbeant; nam dictus sanctus Pater autor fuit Christianis, ut libros gentilium, quantumvis erroribus plenos, perlegerent, adiuncta commonefactione, ut bona fecernerent à noxiis: sic enim magnum adiumentum ad intelligēdas Scripturas habituros Perutile quoque esse solet, teste S. BONAVENTURA, si quis multa è Scripturis memoriæ mandet, vel crebrò cum attentione perlegat, & obscuriores earum sententias conferat cum clarioribus, idque vel totas, vel secundum aliquas partes. Hac enim ratione B. GREGORIUS homilia 10 in Ezechielem collegit, quid Christus significare voluerit, cum digitos immitteret in aurem surdi *Quid per digitos, inquit, nisi dona Spiritus sancti designantur. Unde, cum in alio loco eiecisset demonium dixit. Si in digito DEI eicio demonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Qua de re per Evangelistam alium dixisse describitur. Si ego in spiritu DEI eicio demonia. Ex quo utroque loco colligitur, quia digitus DEI vocantur Spiritus sancti dona. Et concludit. Digtos autem in auriculam mittere est*

per dona spiritus sancti mentem surdi ad obedientiam aperire.

NON parum etiam iuvat legere commentarios eorum, qui ad litteram scripturas exponunt, vt Hieronymum, Chryso-
stum, atq; etiam P. Emmanuelem Sa, qui breuissimè clarissimeq; tota Biblia exposuit, & ad meditantium vsum valde accommodatè.

iac, 1. DEMVM plurimum iuuare puto, si in orationibus tuis pro earum intelligentia recurras ad DEVM, qui dat omnibus affluenter, teste S. Iacobo. Hoc enim donum Apostolis, hoc aliis multis concessum est. Sic legitur S. THOMAM Aquinatem plus oratione, quam studio & continua lucubratione in earum intelligentia profecisse. Idem ergo & tu spera, maxime si, vt ille faciebat, orationibus ieiunia, disciplinas, aliasq; mortificationes adiunxeris.

De monitis circa Metaphoras obseruandis.

C A P. VI.

VENIO ad monita circa Metaphoram obseruanda Primum est, eam nō usurpari, nisi occasione proprietatis alicuius, quam res inter se communem habent. Vera
bi causa

bi causa, proprietates ob quam vocabulum Leonis transfertur ad Christum, est Fortitudo. Vt enim Leo animalium est fortissimus, sic Christus fortissimus est omnium hominum. Inter res item fortissimas numeratur mors. Secundum illud Cantici, *Fortis est, et mors, dilectio* De qua & Christus triumphauit. Hac doctrina est S H I L A R I I. in illa verba D. Matthæi, *Vos estis sal terra.* Sic enim loquitur. *Sal terra, et arbitror, nullum est.* Sibi que hanc obiectionem proponit *Quomodo ergo Apostolos sal nuncupauit?* Sibi que respondet. *Sed proprietates est querenda dictorum, quam & Apostolorum officium, & ipsius salis natura monstrabit. Sal in omnem usum humani generis effectus incorruptionem corporibus, quibus fuerit aspersus, imperit. Apostoli autem sunt rerum cælestium prædicatores, & æternitatis velut satores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo fuerit aspersus, conferentes.* Quibus verbis ostendit proprietatem salis communem cum Apostolis fuisse vim conseruandi res à corruptione.

AL T E R V M monitum est, quoniam queuis creatura, etiam minima, à Deo conditore suo, multis variis que proprietatibus dotata est, hinc sit, vnam eandem que rem ad

H ; multa

Cant. 8.

Hilar.

can. 4. in

Matt.

- multa posse transferri cum significatione translata, nec modo ad diuersa & disparata, sed etiam contraria & pugnantia. Exemplum rerum disparatarum luculentum habemus in voce *AQUA*. quam S. Ioannes in Apocalypsi transfert ad significandum populum. *Aqua multa*, inquit, *populi multi*. In Euangelio verò ad Gratiam, *Ioan. 4.* dicens. *Aqua quam ego dabo es fiet in eos fons AQUA salientis in vitam eternam*. Exemplum deinde contrariorum fit hæc vox *FERMENTVM*, quæ in bonam partem est usurpata à Christo, quando apud B. Matthæum dixit. *Fermentum, quod abscondens mulier in farina satis tribus, donec fermentatum est totum*. In malam verò partem, *Marc. 8.* quando admonuit Phariseos. *Cauete à fermento Phariseorum, quod est hypocrisis*.

Ioan. 4. TERTIVM est, quod non solum sæpe numero in scriptura inuenitur vox in significato proprio, sed etiam translato, idque in eodem libro, imò in vno loco. vt liquet ex colloquio à Christo habito cum Samaritana. Nam vocem *AQUA* primo usurpauit in significatione propria, cum dixit, *Qui biberit ex hac aqua*. Deinde verò in metaphorico, cum ait. *Aqua, quam ego dabo ei.*
fiet

fiet in eo fons aqua salietis in vitam eternam. Adhæc vocem *M E S S I* ibidem prius vsurpauit in proprio significato *Nonne*, in-
 quiens, *Vos dicitis, quia adhuc quatuor men-
 ses sunt & messis veniet?* posterius in trans-
 latitio. quando paulo post subiecit. *Leuate
 oculos, & Videte regiones, quia iam alba
 sunt ad messem.* Idem videre est in aliis
 multis S. scripturæ locis, si attentè eas ex-
 pendas.

EX TREMV M est, quamuis sæpius me-
 taphora in vna alteraue voce cõsistat, tamẽ
 aliquando integrum occupat sermonem, vt
 apud Ioannẽ, dum Christus ait. *Ego sum Vi-
 tu, & Vos palmites. Et pater meus agricola est.* *Ioan. 15.*

Deniq; adiungendum est hic documen-
 tum B. Chrysoft. de Parabolis, vt non existi-
 mes omnia leuicula, quæ in parabola sunt,
 esse proposito accõmodanda, sed ea rãtum
 quæ sunt præcipua, & quasi substantialia, vt
 sunt ea, ob quæ significãda parabola est in-
 ducta. Exempli loco Christus adducit para-
 bolam operariõrũ in vineam cõductorum, *Mat. 20.*
 quia in ea scopus is fuit, ostendere Deũ ho-
 mines ad gloriam prædestinare ex gratia
 cooperante eorũ volũtate. Itaq; licet in ea-
 dem dicatur æqualem omnibus contigisse
 mercedem, contrarium verò scribatur ab

H 4 Apostolo

1. Cor. 15. Apostolo, dum ait *Sicut stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum, nihili, inquit ille. faciendum est, quia ad accommodationem parabolæ non pertinet.*

Quibus de causis diuina scriptura utatur figuratis locutionibus.

C A P. VII.

S P A T R E S varias assignant causas, cur Dominus DEVS Veteris Nouique testamenti scriptoribus inspirarit, vt tot tropis, figuris in scribendo vterentur. Quarum nonnullas nostro proposito congruentiores hic commemorabo.

Cap. 11. THEOPHYLACTVS in Lucam causam reddit, vt scriptura obscuritate sua quâ efficiunt metaphoræ, attentum & sedulum redderet Lectorem ad eruendû genuinum sensum.

S. CLEMENS Alexandrius in 6. Stromatum scribit spiritum sanctum voluisse hac nube obscuritatis, coercere superbiam nostram, vt dum eas obiter percurrendo intelligentiam non assequimur, humiliemus nos, & ingenii nostri stuporem agnoscamus.

S. HIERONYMVS ad caput II. Isaia illam

lam aliam assignat rationem vt obscuritas earum nos adigat, ad implorandam diuinam opem, iuxta illud Lucæ *Petite & accipietis.* Quod confideter præstare debemus. nam vt testatur S. Iacobus. *Si quis indiget sapientia* (qualis est ea quæ scripturis inclusa est) *postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Quod scimus multis sanctis contigisse, non solum in casibus particularibus, vt evenisse diximus S. THOMÆ, sed generatim in tota scriptura indicatur. Nam sapientiæ 7. dicit sapiens. *Optavi, & datus est mihi sensus, inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Ac Apostolis quidem Christus hanc sapientiam impertiuit etiam non petentibus, vt refert B. LVCA S. *Et aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.*

Luc. 11.

Iac. 1.

Luc. 24.

S. IOAN. Chrysostronus homil. 38 in Matth. existimat causam esse, vt Euangelii mysteria & intellectu facilius apprehenderentur, & memoria retinerentur. Nec dubium est res diuinas & spirituales per rerum sensibiliū metaphoras citius intelligi; cum naturale nobis sit beneficio rerum sensibiliū in intelligibiliū notitiam venire. Originem siquidem à sensib. habet omnis nostra cognitio. Quod conuenit cum illo S. Pauli ad Romanos. *Inuisibilia enim ipsius*

Rom. 1.

H s à crea-

Rom. I. à creatura mundi, per ea qua facta sunt, intellecta conspiciuntur. Quod ideo fit autore Cardinale CAIETANO in S. Thomam scribente, quia rerum sensibilibus, species quas exhibet metaphora, suppleant vicem specierum intelligibilium in spiritualibus, & diuinis. Quemadmodum pictura leonis ab oculo inspecta conducit ad intelligendam generatim animalis illius naturam.

S GREG. homil. 10. in Ezech. arbitratur à Deo id factum, vt occasio præberetur variis, varias illius interpretationes excogitandi, vt patuit in metaphora salis supra allata.

Matt. 5. Vos estis sal terra. Vbi glossa, ex salis virtute quam habet ad exsiccando s humores, & seruandas à corruptione, & vermium generatione carnes, colligit doctrinam Euangelicam conseruare animam, non tantum à peccati actualis corruptione, sed etiam à vermiculatione prauarum cogitationum.

S. AVGVSTINVS verò, quoniam omnes homines, magni æquè ac parui, opus habent sale ad condiendos cibos, inde colligit doctrinam Euangelicam omnibus ad salutem esse necessariam. S. CHRYSOST. quoq; ex acrimonia & mordacitate salis vulneribus inspersi, colligit, Concionatores aliquando debere

debere vti acrioribus reprehensionibus peccatorum, etiam si magna eorum offensio inde oriatur. S. REMIGIVS docet, sicut res tetrum odorē expirantes, si sale confricentur, tetrum odorem remittunt: sic diuinæ scripturæ sal dum corrigit fœdos hominū mores, omnem conuersationū scandalosarum prauum odorem è medio tollit. CHROMATIVS Episcopus Aquilegiensis ait. Velut sal foris carnibus aspersus, internas quoq; eius partes penetrat & conseruat, sic verbum Dei auribus corporis externis exceptum intimas animi medullas penetrat, eumque conseruat. Ex qua vi agendi elicit scriptor quidam: Quemadmodum necesse est sallem liquefcere, vt intimas carnes peruadat atque conseruet, sic operarium Apostolicum, ad iuuandum animas non debere modo sustinere omnia incommoda & molestias, verum etiam cum opus est, sanguinem pro iis profundere. Sic enim fecerunt Apostoli, & alii multi, vt nuper in Belgio bonus Pater noster Ioannes Ferdinandus, qui in conflictu nostrorum cum hæreticis, vulneratus ipse inter milites saucios morti proximos multis adrepebat, vt absolutionem confessis impertiri posset; quo ardore creditur multos

multos

multos ad cœlum transmisisse. Denique S. HIERONYMVS annotauit. Sicut sal in se sapidum est, omnemque cibum inspidum sapidum reddit, sic de verbo Dei sentendum esse iuxta illud Psalmi. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel ori meo.* Ecce vides, quam multos variosque conceptus S. Patres ex metaphora salis hauserint, vt intelligas idem posse fieri ex reliquis.

Psal. 118.

De sententiis quibusdam S. Patrum ad rectè meditandum in scripturis.

CAPVT VII.

QVONIAM sequentia documenta haurienda sunt ex variis S. Patrum sententiis, vt dilucidior sit tractatio, primo dogmata eorum recensebo, deinde in altero capite documenta vel instructiones.

S. GREGORIUS Nyssenus de gen. hom. Graue, inquit, nefas est, dicere, in scriptura Verbum aliquod redundare.

S. GREG. Nazianzenus in Apolog. non contentus hac monitione, addit. *Neque nobis in mentem veniat existimare, ea temere litterarum monumentis commendata fuisse, &c. At nos, qui exquisitâ spiritus doctrinam vel usque ad leuissimum apicem & lineam trahimus,*

himus, nunquam (nec enim fas est) ne minimas quidem actiones ab iis, à quibus memoria prodita sunt, temerè præscriptas & elaboratas memoriæq; ad hæc & q; tempora conseruatas esse fatebimur.

S. IOAN. Chrysoft. quoq; hom. 18 in Genesin. Nihil temere, ait, aut fortuito loquitur diuina scriptura: sed & syllaba, & apiculus reconditum habet thesaurum.

ORIGENES item homilia 9. in Ezech. Obseruandus, inquit, est diligenter omnis scriptura sermo, ordo, iunctura.

S. BERNARDVS sermone primo considerans cur B. Lucas tot nomina propria, vt Gabrielis, Mariæ, Ioseph, Galilææ, & Nazareth, in mysterio incarnationis explicando, recenseat, ita scribit. Putasne aliquid horum superuacue positum sit? nequaquam. Si enim nec folium de arbore sine causa: nec vnus ex passeribus sine Patre cœlesti cadit super terram: putem ego de ore sancti Euangelistæ superfluum diffuere verbum, præsertim in sacra historia Verbi: non puto, plena quippe sunt omnia supernis mysteriis.

De

De documentis ex superiori Sanctorum
doctrina haustis.

CAPVT IX.

PRI MV M documentum sit, vt in medita-
ti. ne Scripturarum diuinarum, nullum
verbum velut superfluum transfiliat. Nam
nullum esse superfluum docet B. CHRYSO-
STOMVS in illa verba Genesis. *Cham*
autem erat pater Chanaam. Dignum, in-
quiens, hic fuerit, Et inquirimus, quare di-
uina Scriptura hos tres filios Noe comme-
morando subdit, *Cham* autem erat pater
Chanaam. Et subdit. Non putetis obsecro,
hoc absque causa fuisse adiectum. Nihil e-
nim est in diuina Scriptura, quod non ali-
quaratione dictum sit, que & non latentem
in se habeat utilitatem. Quare ergo addidit.
Cham autem erat pater *Chanaam*? Voluit
enim per hoc nobis illius intemperantie resimi-
litudinem insinuare: & quod neque calamitatis
magnitudo illum coercere potuit, neque tan-
ta in arca angustia irrefrenatam illius con-
cupiscentiam sedauit, sed iam statim ab ini-
tio mentis sue malitiam monstrauit. Ean-
dem considerationem habet in homilia
29. in alia verba paulo post dicta. Et vidit
Cham

Gen. 9.

Chr. hom.

28.

Cham pater ille Chanaam nuditatem patris sui, & egressus nunciauit duobus fratribus suis, dicens Propterea enim, vt discas iam pridem, & ab initio eum mentis corrupta fuisse non simpliciter dicit Scriptura. Vidit Cham nuditatem patris sui Sed quid? Et vidit Cham pater Chanaam. Quare, dic mihi, & hoc loco filii vocabulum assignat? Vt discas illum fuisse intemperantem & mente, qua in tanta turbatione procreanda proli vacauit eadem etiam nunc in contumeliam patris prorupisse.

ALTERVM documentum est, nullum verbum transfiliendum esse, etiam si casu videatur toti orationi insertum; quia si vltimum foret, esset maxime illud quod aliquando Dominus dixit apud B. Ioannem. *Ioan. 7. Doctrina mea non est mea.* Nam vt innuit B. AVGVSTINVS tract. 29. *Videtur paucis verbis, quasi contraria locutus. Si enim non tua, quomodo tua. si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis vtrumque, & mea doctrina, & non mea.* Et tamen ille ipse hinc confirmat sublime illud mysterium Consubstantialitatis filii cum patre, dicens. *Qua est doctrina Patris, nisi Verbum Patris?* Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia Verbum non potest

potest esse nullius, sed alicuius, etiam doctrinam suam dixit seipsum, & non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim est tam tuum, quam tu, si alicuius es, quod es?

TERTIVM est, considerandum, quid primo, quid secundo loco dicatur. vt in visione Iacob Patriarchæ dicitur. *angelos ascendētes & descendentes.* vt intelligeremus, cum cælum sit angelorum sedes, motum primo debere esse sursum, deinde deorsum. Vnde colligit B. Greg. 2 parte pastoralis. cap. 5. Prædicatores & Prælatos prius debere per contemplationem & amorem ascendere ad Deum, quam descendant ad nos, & nobis beneficiant.

QVARTVM est in diuinis scripturis non usurpari synonyma ad ornatum, sed ad significandum aliquod mysterium, vel vt occasio præbeat eruendi alicuius conceptus boni, vt facit S. GREGORIUS homilia 35. in verba B. Lucae. *Cum audieritis praelia, & seditiones, nolite terreri.* vbi duo illa verba, licet non ita videatur, inter se differre indicauit. *Pensanda,* inquit, *sunt verba redemptoris nostri, per qua nos aliud interius, aliud exterius passuros esse denunciat: Bella quippe ad hostes pertinent, seditiones ad ciuitates, Sensum quoque moralem inde elicit*
hunc

Gen. 28.

Luc. 21.

hunc nimirum animi nostri perturbaciones aliquando ex causis internis, aliquando ab externis oriri. *Vt ergo, inquit, nos indicet interius exterius quod turbare, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud a fratribus perpetr.*

QVINTVM sit, etiamsi verba quaedam significatione parum nonnunquam videantur inter se distare, tamen inquirenda est illa distantia quantumuis minima, vti facit S. Augustinus in psalmum 85. de verbis Ecclesiastici c. 24. *Qui te manducant, iterum esurient, & qui de te bibunt, iterum sitient.* Subiungit enim. Immo verò non dixit ITERVM, sed dixit ADHVC. *Nam iterum sitiet, qui quasi primo saginatus discesserit, & digresserit & redierit bibere, adhuc etiam sitient, qui te bibunt, sic bibendo sitiant. Quid est bibendo sitire? nunquam fastidire.* Ex quibus duabus vocibus colligit discrimen voluptatum cœlestium à terrenis. Illis enim applicat verbum ADHVC, vti facit hic in explicatione psalmi. his verò applicat ITERVM, exponens tractatu 75. verba illa B. Ioannis à Christo ad Samaritanam dicta. *Qui bibe-^{Ioan. 4.} rit ex hac aqua, sitiet iterum.*

SEXTVM est, examinandas esse quaslibet vocolas, vti facit B. GREGORIUS homilia I. in Ezech. vbi ex prima primi capitis

I vocula

vocula ET sublimem illam doctrinam colligit, nempe prophetas oculo intellectus tam clarè perspicere res sibi reuelatas, atque oculis corporeis conspiciunt præsentes, & ideo vtrasque velut similiter cognitatas coniungere. SED prima questio, inquit, nobis oritur, cur ille, qui nihil adhuc dixerat, ita exorsus est. ET FACTVM EST. cum non sit sermo, cui hoc, quod incipit, subiungatur? Qua in re intuendum est, quia sicut nos corporalia, sic propheta sensu spiritalia aspiciunt: eiusque & illa sunt præsentia, quae nostra ignorantia absentia videntur. Vnde fit, ut in mente propheta ita coniuncta sint exterioribus interiora, quatenus simul vtraque videant, simulque in eis fiat, ut intus verbum, quod audiunt, & foras, quod dicunt. Patet igitur causa, cur, qui nihil dixerat, inchoauit dicens. Et factum est. Quia hoc verbum quod foris protulit, illi verbo, quod intus audierat, coniunxit. Continuat ergo verba, quae protulit, visioni interna, & idcirco incipit dicere, ET. Subiunxit enim hoc quod exterius loqui inchoat, ac si & illud foris esset, quod intus vidit. Hucusque ille.

SEPTIMUM sit, non solum voculas non negligendas, sed nec distinctiones per commata & puncta, quarum mutatio saepe
dissimili-

diffimiles gignit sensus. teste B. August. tractatu primo in verba B. Ioannis. *Quod factum est in ipso vita erat.* sic enim scribit. *Pronuncia sic, quod factum est. Hic subdistingue, & deinde infer. In illo vita erat.* non autem sic. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Et subdit rationem. *Si enim omnia in ipso facta sunt, omnia vita sunt. Non te abducant haeretici.*

Ioan. I.

OCTAVVM est, vim quandam quoque esse in accentibus, & nota interrogationis? & hæc quidem, quando dubia sit, vel non intelligendum est, vt monent Patres ex antecedentibus vel consequentibus.

NONVM est reperiri in scriptura voces quasdam geminatas partim declinabiles, partim indeclinabiles, quibus vehementia affectus denotatur. vt sunt illæ Christi Domini nostri in cruce. **DEVS** *Deum meum,* *Et quid dereliquisti me.* quæ vehementem designant dolorem. sicut illæ aliæ & ardens desiderium. **DESIDERIO** *desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Nam Hebræi, cum careant superlatiuo, dum amplificare rem volunt, vtuntur congeminatione vocis.

I 2 DICI

DECIMUM est, S. Scripturam in vno eodemque sermone transire sæpe ab vna persona ad aliam, vt à tertia ad secundam sic S. Ioannes c. 19. cum dixisset. *Si quis diligit me, sermonem meum seruet.* paulo post addit. *Si diligitis me, sermonem meum seruate.* De qua variatione S. AVGVSTINVS libro 1. de ser. Dom. annotauit, Christum, dum proponeret discipulis suis octo beatitudines in genere, in tertia persona locutum. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* eademque loquendi forma expressisse reliquas septem. Deinde verò sermonem profecutum in secunda persona. *Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, &c.* Ex qua mutatione colligit dictus sanctus Dominum indicare illis voluisse, quæ generatim locutus fuisset, tanquam absentibus, sibi quoque dicta reputarent: & rursus quæ speciatim ipsis dixisset, esse quoque dicta pro absentibus. *Inde iam cepit, inquit, loqui, presentes compellans, cum & illa, quæ supra dicta sunt, ad eos etiam pertinerent, qui presentes audiebant, & hac postea, quæ videntur presentibus specialiter dici, pertineant etiam ad illos, qui absentes vel futuri erant.*

VNDICESIMVM sit, trāsire eandem non-
nauquam

nunquam à numero singulari in pluralem,
 & contra vt Cantic. I. *Trahé me post te, CVR-*
REMVS in odorem Unguentorum tuorum.
 Ex qua mutatione colligit S. BERNARDVS
 salutare illud documētum Proprium nempe
 esse virtutis caritatis, vt mortificationes
 aliasque molestias voce **TRAHE** compre-
 hensas sibi soli vendicet, consolationes ve-
 rò, & gaudia communicet amicis & sodali-
 bus. *Sequitur quaestio, inquit, cur similiter,*
cum sepetur trahi, etiam adolescentulus non
adunxit? quare ME, & non NOS? cur ergo
pluraliter mox subiectum, CVRREMVS, cur
TRAHI te singulariter postulasti? Et respon-
det, Trahimur, cum tribulationibus & ten-
tationibus exercemur. Currimus, cum inter-
nis consolationibus, & inspirationibus visita-
ti, tanquam in suauolentibus Unguentis re-
spiramus. Ac pergit respondere in persona
sponsæ. Ergo quod austerum & durum vide-
tur retineo MIHI, tanquam forti, tanquam
sana, tanquam perfecta, & dico singulariter,
TRAHE ME. *Quod suauē & dulce, tibi tan-*
quam infirmo communico, & dico, CVRRE-
MVS Volo habere socias consolationis, non au-
tem laboris.

Quod autem numeri rationem habere,
 tam in nominibus, quam in verbis, vanum

I 3 non

Gal. 3.

non sit, testatur S. PAVLVVS, qui scribens ad Galatas, dum proponit promissionem de Messia factam Abrahamæ. *Abraham, inquit, facta sunt promissiones, & SEMINI eius. Non dicit seminibus, quasi in multis sed quasi in vno, & SEMINI.*

DE MV M consuevit Scriptura sacra innuere dictum aliquid vel factum, quod tamen non est expressum, vt est legatio, quam S. Martha instituit ad sororem suam Magdalenam, quod à Domino vocaretur, qui ad resuscitandum eorum fratrem Lazarum aduenerat. *Magister adest, inquit, & vocat te,* vt refert S. Ioannes cap. 11. vbi non fit mentio illi commissam fuisse istam curam. In his ergo casibus licitum est meditati rem sibi ob oculos ponere, non vt facta est, sed vt probabiliter fieri potuisse existimabit. Exempli causa, si mediteris de apparitione angeli facta Christo oranti in horto. *apparuit enim angelus, confortans eum,* ait B. LVCA S. posses ipse imaginari, cuiusmodi fuerit colloquium angeli, cum Christo, quod solandi eius causa instituit.

Luc. 22.

EANDEM doctrinam vsurpare potes, quando contingit quiddam non modo
NON

non expressum in scriptura, sed nec insinuatum, & tamen probabile est, id fieri potuisse, tunc enim meditari potes id, quod arbitraris dictum vel factum. Ut si consideres profectorem Pastorum ad Christum recens natum, poteris imaginari, quomodo salutarint B. Virginem eius matrem, & quid responsi ab ea acceperint, quid obtulerint, & id genus alia, etiam si nulla eorum sit apud Evangelistas mentio.



I 4 TRA-



TRACTATUS II.
DE ACTIONE IN-
TELLECTVS CIRCA
Personas.

*De actione intellectus, circa ea, quæ Per-
sona conueniunt, vt est quoddam
compositum.*

CAPVT I.

QVONIAM homo constat ani-
mo & corpore, possunt hæ duæ
partes dupliciter considerari,
vel vt sunt inter se distinctæ, vel
vt coniunctæ sunt in vno com-
posito. Hic considerationem secundam, se-
quentibus verò capitibus primam perse-
quemur.

PRIMUM autem, quod considerari pos-
set de Persona, quâ composita, est eius a-
ctio. *Actiones enim, vt docet Aristoteles, sunt
suppositorum, sed quia actiones distinctum
postulant tractatum, nihil hic de iis dice-
mus.*

ALTE-

ALTERVM, quod de persona cōsiderari
 queat, est nomē, quod in personis, quarum
 mentionem facit Scriptura ordinariē pecu-
 liarem habet significationem, idcirco in
 meditatione nomina sunt excutienda. Ferē
 enim in iis aliquod latet mysterium. Ita do-
 cet S. BERNARDVS sermone primo in
 verba B. Lucæ. *Missus est angelus Gabriel à*
Deo in ciuitatem Galilæa, cui nomen Nazā-
reth ad Virginem desponsatā Virg, cui nomen
Ioseph, de domo David & nomen Virginis
 MARIA. & in hunc modum scribit. *Quid*
sibi soluit Euangelista tot propria nomina re-
rum in hoc loco tam signanter exprimere? cre-
do, quia noluit nos negligenter audire, quod
tam diligenter studuit enarrare. Putasne ali-
quid horum superuacue positum sit? nequa-
quam plena sunt quippe omnia supernis my-
steriis. Quæ & ibidem exponit. Sic B. A-
 V-
 EVSTINVS occasione verborum, quæ Chri-
 stus apud S. Ioannem dixit discipulis. *Vsque*
quo non petistis quiscquam in NOMINE meo, Ioan. 16.
 indagat, quid homo iustē à Deo vi nominis
 postulare queat? & concludit, cum id no-
 men sit IESV, id est, saluatoris, ea tantum
 quæ ad salutem pertinent, esse postulanda.
Non petitur, inquit, in nomine Saluatoris
contra rationem salutis. Non enim sono litte-
 I S rarium

rarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, & quod eo sono rectè ac veraciter intelligitur, hoc accipiendum se dicere, cum dicit, in nomine meo. Poteris autem nominum significationem cognoscere, licet Hebrææ linguæ ignarus, si exemplar nactus sis Bibliorum, quæ in fine omnium nominum interpretationem adiunctam habent.

TERTIVM est sexus. Fortitudo enim animi in periculis & tormentis maiorem meretur laudem in feminis, quam in viris, eo quod natura timidæ sint, & fragiles, ut bene notavit Ecclesia in collecta de Virginitatibus. **DEVS**, qui inter cetera potentia sua miracula etiam in sexu fragili martyris *Victoriam contulisti, &c.* Consequens ergo est magna laude dignas fuisse mulieres sanctas quæ non reformidarunt, dilapsis licet fuga Apostolis, palam comitari Christum usque ad montem Caluarie.

QUARTVM est ætas, quam diuiserunt in pueritiam, virilem ætatem, & senectutem. Tu vide, ut ex quavis harum pro meditando materia aliquid decerpas. **S. AVGVSTINVS** primam ætatem observavit in sanctis Innocentibus, siquidem ante, inquit, vitæ perpetuæ adepti sunt dignitatem, quam

Serm. 3.

quam vsum præsentis acciperent Et Ecclesia sancta eiusdem mentionē facit in communi Oratione. *DEVS, cuiusmodi hodie die innocentes martyres, non loquendo, (alludens ad ætatem) sed moriendo confessi sunt.* De virili ætate id considerant sancti, quod Christus in ea delegerit mori, utpote quæ ordinariè carior homini esse solet, ob robur & vires, aliâq, commoda & solatia quibus abundat Hanc ponderavit idem *S. AUGUSTINVS* in persona *S. Stephani*, quando fuit lapidatus. *In ipso, inquit, iuventutis flore decerem ætatis sua sanguine purpuravit.* Ex senectute denique hauriri possunt multi salutare fructus. Nam verbi causa, ex conceptione *S. Elisabeth* in senectute, pusillanimes senes, qui in vita spirituali plus æquo steriles fuerit, spem cōcipere possunt vitæ suæ cum meliore commutandæ: iuvenes quoque, nimium viribus suis fidentes, & conversionē suam in extremam ætatem prorogantes, hinc discere possunt, admodum periculosam esse dilationem, quandoquidē, quod *Elisabeth* anus conceperit, miraculosum fuerit, & rarissimū Neq; mirari debes, ex senectute deriuata esse duo remedia pro curandis vitiis inter se pugnantibus, id. n. oritur ex diuinę script. fœcūditate, ut nota-

Serm. 2.

vt notauit S. GREGORIUS lib. 33. moralium, c. 10. allato exemplo Dauidis, & S. Petri. *Ad hoc quippe, inquit, in scriptura sacra virorum talium peccata sunt indita, & cautela minorum sit ruina maiorum. Ad hoc vero & trorumque illic & pœnitentia insinuatur, & venia, & spes pereuntium, sit recuperatio perditorum. De statu ergo suo Dauid cadente nemo superbiat: de lapsu etiã suo Dauid surgente nemo desperet. Ecce quam mirabiliter scriptura sacra eodem verbo superbos premit, quo humiles leuat. Vnam namq; rem gestam retulit, & diuerso modo, superbos quidem ad humilitatis formidinem, humiles vero ad spes fiduciam reuocauit.*

QVINTVM sit STATVS particularis cuiusq; hoc est, quem quisque sua voluntate delegerit, vt est matrimonii; & Coelibatus status. In matrimonio verò spectandum est, an suppetant liberi, vt in Zebedæo, vel non suppetant, siue quia nulli geniti sint, siue quia vita defuncti, vt accidit viduæ in Naim. In coelibatus verò statu, considerandum est, sitne Virginitatis, qualis fuit Beatiss. Virginis; an viduitatis, vt Anna prophetissæ.

SEXTVM est RELIGIO & fides, quam quisque profitetur. vt, sitne fidelis, an infide.

MEDITANDI PARS II. 148

infidelis. qualis erat Centurio de quo Saluator dixit apud B. Matthæum. *Non inueni tantam fidem in Israhel.* Et si fidelis sit: an Catholicus, vel hæreticus sit expende, vt erat Samaritana. *Matt. 8.*

HAS tres conditiones supradictas attingit S. Ambrosius libro 5 de fide cap. 3. in v. xore Zebedæi his verbis: *Considerandum est, quæ mater filiorum Zebedæi cum filiis & pro filiis petat. MATER est vniq̃. Ecce prima. cui pro filiorum honore sollicita, immoderatio quidem, sed tamen ignoscenda mensura votorum est atq̃ mater atate LONGÆVA. Et hæc est secunda. tertia verò in verbis sequentibus Studio RELIGIOSA, solatio destituta, qua tunc temporis, quando vel iuuanda, vel alenda foret valida prolis auxilio, abesse sibi liberè patiebatur.*

SEPTIMUM & vltimum est, officium quo quæque persona fungitur, vt si mercaturam faciat, vel aliud. Sic S. Matthæus describens conuersionem suam sui pudefaciendi causa, vt habet B. Hieron. libr. 8. in Matthæum, fatetur se fuisse Publicanum, quod id temporis erat officium vile & contemptum. similiter cõsiderari potest, si manu vel arte victum pararit, vt fecit S. Ioseph. quod Iudæi ad contemnendam Christi personam

Matt. 13. sonā retulerunt, cum apud Matthæū dice-
Mar. 6. rent. *Nonne hic est fabri filius?* & apud Marc.
Nonne hic est FABER? de iplo Christo vide-
 rant enim illum cum Iosepho, antequam
 Apostolos colligeret, domi laborantem.

MVLTa ex his obseruauit quoque S.
 AMBROSIVS in Lucam, cum puer Iesus
 oblatus est in templo. *Non solum*, inquit,
ab angelis & prophetis, à parentibus & pasto-
ribus, sed etiam à senioribus & iustis generatio
Domini accipit testimonium, omnis aetas, &
uterque sexus venturorum miraculorum fi-
dem astruunt. Virgo generat, sterilis parit,
mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus
adorat, Sycero clausus Ioannes exultat, Sordus
confitetur, iustus expectat.

De actione intellectus circa ea quæ con-
veniunt personæ ratione animæ.

CAPVT II.

PRIMUM, quod considerari potest in a-
 nima, est eius natura & substantia. Ea sic
 potest describi. Est substantia spiritualis,
 intelligens, immortalis, Dei, eiusq; gloriæ
 capax, quæ corpori communicat esse, viue-
 re, & operari. Et quoniam operationes mul-
 tæ sunt & variæ, Deus illi concessit faculta-
 tes vel

res vel potentias, quibus quasi instrumentis operationes exercent. Ac quoniam commune cum angelis habet intelligere, cum bestiis sentire, & cum plantis vegetare, de tribus illis ea tantum perstringam, quæ ad meditandum satis esse possunt.

SECUNDUM est, considerare in anima, qua intelligens est, tres eius potentias. Intellectum, voluntatem, & memoriam. De intellectu, inuestigari potest, sitne quis ingenio acuto, an obtuso, celeri vel tardo, perspicaci an obscuro? si iudicio maturo & graui, an puerili & nullo. Acutos ingenio forte se venditabant Iudæi, quando post adhibitos custodes sepulchrum Domini obsignarunt sigillo: sed præpostero iudicio se esse, declararunt, quâdo custodibus mandarunt, vt dicerent ab Apostolis corpus Domini ipsis dormientibus sublatum. *Qua de re egregiè illos irridet B. Augustinus in psalmum 63. Dormientes testes adhibes. Verè tu ipse obdormisti, qui scrutando falsa fecisti.* *Matt. 27.*

TERTIUM est considerare actiones eius, qua sentiens est. vbi primo spectandæ sunt eæ quæ sunt potentiarum interiorum, vt sensus communis, phantasiæ, cogitatiuæ, & memoriæ sensitiuæ, & adhæc quæ sensu exteriororū. Secundo spectandæ sunt potētiæ appeti-

appetitiuæ, vt concupiscibilis cum suis actionibus in bonum vergentibus, Amore scilicet, desiderio, & delectatione: & aliis tribus in malum tendentibus, vt Odio, Fuga, & Tristitia. Deinde Irascibilis cū suis binis actibus bonum attinentibus, vel Spe & Desperatione, & duabus item malum spectantibus, Audacia & Timore, ac demum contra illud ipsum ira. Tertio spectanda est & potentia motiua secundum locum, cuius vi quodq; membrum sigillatim, ac etiam totū corpus mouetur de loco in locū.

QUARTVM est, considerare actiones eius, qua vegetans est, nam & actiones animæ vegetatiuæ exercet. Prima autem eius virtus est nutritiua, quæ tres alias habet velut ministras, attractiuam, digestiuam, & expulsiuam. Altera virtus est Augmentatiua. tertia verò Generatiua, quibus etiam dicte tres ministræ ancillantur. In meditatione ergo ob oculos habere potes, nunc vnam, nunc aliam, prout materia postulabit. Exempli causa, si incidat aliquid meditandum de Pilato, obseruare potes, cui passioni Appetitus sensitiui fuerit obnoxius, & apprehendes, quod Timori, cum dicat S. Ioannes c. 19. *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.* Eodem modo inquirere potes alias.

De

*De actione Intellectus circa ea quæ con-
ueniunt personæ ratione
corporis.*

C A P. III.

QUIA corpus nostrum conflatum est ex
4. clementis, sed non eodem modo in
omnibus temperatis, primum, quod in per-
sona ratione corporis expendi potest, est
COMPLEXIO, quæ ex mixtione elementor-
um resultat. Quærendum itaque tibi est,
si temperata sit alicuius complexio, vel
non. Si non sit, sed limites excedat modera-
tionis, videndum est quod ad extremum
tendat, calorisné an frigoris, siccitatis, vel
humiditatis. Vel si medicorum more lo-
quamur, dominetur cholera, an phlegma?
sanguis an melancholia? esto, quod in cor-
pore aliqua illarum 4. qualitarum, plus mi-
nusue excedat. Quo enim homo plus se ad
vnum applicuerit extremum, hoc minus le-
detur à contrario. verbi causa. Cholericus,
quia abundat calore, minus frigescit in hy-
eme. Quocirca, quominus se adiungit ex-
tremis, hoc magis læditur ab ipsis. Atque
hinc factum est, vt Dominus noster facile
expositus fuerit tolerandis omnibus con-
K. trariis,

trariis, idque in gradu intenso, vt frigore, fame, flagellis, &c. sic cogitant nonnulli S. Petrum natura fuisse cholericum, & ideo fuisse audacē & imperterritum, ideo quod non dubitarit iniicere manum in seruum Pontificis, etiam si cerneret se magna militum turba circumdatum.

ALTERVM, quod considerari potest, est QUANTITAS. vt num persona sit statura grandi, an pusilla præditus? Grandi erat saul. nam vt in primo Regum narratur,
 1. Reg. 9. *ab humero & sursum eminebat super omnem populū.* Contra, pusilla erat Zachæus, de quo
 Luc. 19. *S Lucas. Statura pusillus erat.*

TERTIVM sit, considerare, quantæ vires sint alicuius. Nam saul ob exiguum Davidis robur, & ætatem iuuenilem, summamque vires Goliath, hominis adulti, & armis assuefacti, dixit in primo regum ad
 6. Reg. 17. *Dauidem: Non valebis resistere Philistæo illi, quia puer es, hic autem vir bellator ab adolescentia sua.*

QUARTVM est, videre, si quis sano corpore sit, vel ægro, aut foruito, vt seruus Centurionis, aut perpetuo, vt paralyticus in piscina, 38. habens in infirmitate sua Adhæc, num ægritudo totum corpus inuasit, vt fecerat febris in socru S. Petri, aut

aut partem tantum, ut oculum, vel aures. Ex his enim omnibus bona documenta eliciqueunt pro vita spirituali, vii facit D. Ambrosius libro 4. super Lucam agens de febris. *Febris enim, inquit, nostra auaritia est: febris nostra libido est, febris nostra luxuria est: febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est.* Applicans nimirum febris proprietates ad animi perturbationes.

QUINTVM est, considerare, si quis eleganti sit forma corporis. Vnde Psalmo 44. dicitur. *Speciosus forma pra filiis hominum,* de Christo. Et de Iudith, Iudith 10. capit. *Cui stiam Dominus contulit splendorem.* Vel si sit deformis, quaecunque tandem deformitatis sit causa. Nam propter verbera Christo inflictas dicit Isaias c. 53. *Non erat ei species, neq, decor.*

SEXTVM esse potest, si expendas varietatem situs, vel in toto corpore, vel in eiusdem partibus. Primus situs est, stare. Sic S. Stephanus in Actis Apostolorum legitur *vidisse IESVM STANTEM a dext. virtut. DEI.* Secundus est sedere: sic S. Marcus de eodem dicit. *Et Dominus Marcus quidem IESVS postquam locutus est eis, assumptus est in caelis, et SEDET a dextis Dei.*

K 2 Ex

Ex quo vtroque situ S. GREGORIUS homilia 29. haurit duo pulcherrima documenta. Primum est STAVVM significare protectionem, qua tuetur seruos: sessionem vero potestatem iudicandi. *Scitis fratres*, inquit, *quia sedere iudicantis est: stare autem pugnantis, vel adiuuantis.* Tertius situs est, genua flectere, vt fecit Christus in horto, S. Luca teste. *Et positus genibus.* Quartus est, procumbere in terram vultu in terram demisso, vt fecit Christus in reliqua dictæ orationis parte, vt affirmat S. Matthæus. *Procidit in faciem suam in terram.* vel iacere corpore supino; vt Christus cruci affixus. Quintus, in latus incumbere, vt fecit S. Laurentius. Sextus, vt sit situs naturalis, vt fuit Christi in cruce capite sursum erecto, vel non naturalis, vt S. Petri capite in terram depresso. De quo situ elegantem habet interpretationem B. Ioan. Chrysof. in homilia de D. Petri morte? *Gaudeas Petre*, inquit, *cui datum est, vt ligno crucis Christi fruereris: Et ad magistri quidem similitudinem Soluisi crucis: sibi, non recta quidem figura, et Christus Dominus, sed capite in terram verso, tanquam qui à terra in cælum iter faceres.* Potest & septimo considerari situs membrorum in particulari, vt Capitis, de quo S. Ioannes scribit

Ioan. 13,

scribit Christum *inclinato capite emisisse spiritum*. Et S. Lucas ait eundem eleuatis manibus benedixisse discipulis. *Luc. 24.*

SEPTIMUM est, si persona sit vestita, vel nuda. Christus enim nudus in cruce obiit. Et si vestita sit, num toto corpore, an parte tantum aliqua. vt pileo in capite, calceis in pedibus, pallio in corpore, &c.

Vestimentis deinde aliis vtimur pro decenti conuersatione, aliis ob necessitatem temporis vel loci, aliis ad ornamentum status. Vestibus annumerari solent & arma, vt galeæ, loricæ, thoraces ferrei, quia & his tegimus corpora pro vitæ defensione. Vnde Dauid, cum animaduerneret sibi arma Saulis non conuenire, inermis in certamen prodiit cum hoste armato. *1. Reg. 17.*

*De actione intellectus circa ea, quæ
conueniunt ratione bonorum
externorum.*

C A P. IV.

BONA externa hoc loco vocamus, quæ quidam appellant bona Fortunæ, & comprehendunt, quæcunque nobis foris adueniunt: & sunt varii generis. Primum est, L t.

K 3 BERTAS,

BERTAS, cui contraria est, subiectio. Subiecta est, verbi causa, vxor marito, teste S. Paulo, liberi parentibus, & serui Dominis. De subiectione pueri IESV scribit S. LUCAS. *Et erat subditus illis.* Et Centurio apud B. Matthæum declarat se habere milites sibi subiectos. *Nam Ego, inquit, homo sum, habens sub me milites. & dico huic. fac hoc & facit: E seruo meo, venit, & venit* Ex iis autem qui subditos habent, nonnulli nullum habent superiorem, vt ille Paterfamilias, qui apud B. Matthæum dixit Vineæ operariis; *an non possum, quod volo facere?* Alii vero habent, vt dictus centurio, qui differtè id confessus est. *Nam Ego, inquit, homo sum sub potestate constitutus.*

SECUNDVM bonum sint OPRES. Poteris ergo indagare, si nē persona diues, vt erat S. Matthæus: vel inops, vt erant ceteri Apostoli, quod notauit S. HIERONYMVS libro in Matthæum 3. in verba. *Ecce nos reliquimus omnia.* PETRVS inquit, *piscator erat, cibos manu E arte quarebat, & tamen loquitur confidenter: Ecce nos reliquimus omnia.*

TERTIVM est Nobilitas. Nobilis erat Ioseph ab Arimathia, qui mortuum IESV corpus postulauit à Pilato, vt testatur B. Lucas.

Lucas. *Ecce Vir nomine Ioseph, qui erat nobi- Luc. 28.*
lis decurio. De ignobilibus scribit Paulus in
 priore epist. ad Corinthios. *Non multi no- 1. Cor. 1.*
biles, sed qua stulta sunt mundi e: egit DEVS. Et
 infra se etiam inter illos numerat. *Vos nobi-*
les, nos autem ignobiles.

QVARTVM est, considerare, si persona
 sit magnæ existimationis apud homines,
 vti fuit S. Ioannes Baptista, qui non solum
 apud plebem, sed etiam apud regem He-
 rodem in pretio erat. *Et Volens Herodes, Matt. 14.*
ait B. Matthæus, eum occidere, timuit popu-
lum, quia sicut P R O P H E T A M eum
habebant. Et rursus. *Herodes autem metue-*
bat Ioannem, sciens eum Virum iustum, &
sanctum. Et similiter considerari potest, si
 persona sit contemptibilis, vti erat Chri-
 stus Dominus apud Iudæos. Quo loco con-
 sultum est, inquirere causas contemptus.
 Christus enim ideo contemnebatur, quod
 esset F A B E R. Nam apud Marcum di-
 cunt: *nonne iste est faber?* deinde, quod *Marc. 6.*
 parentes haberet abiectos, vt sanctus Io-
 seph quem putabant eius patrem. Vnde
 apud beatum Matthæum obiiciunt: *Non-*
ne hic est fabri filius? Et item de matre, *Matt. 13.*
Nonne mater est dicitur Maria, & fratres
eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas:

Et sorores eius, nonne apud nos sunt? Tertio, quod natale eius solum esset vile. Vnde apud B. Ioannem dicunt. A Nazareth potest aliquid boni esse? Quarto, quod conuersaretur cum hominibus vilibus & contemptis; unde vocabant eum amicum publicanorum. Matt. II. Et alibi dicebant: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister Vester?

De actione intellectus circa ea quae persona conueniunt ratione bonorum gratuitorum.

C A P. V.

PRI MV M quod de persona in Meditatione indagandum est, merito censetur gratiae diuinæ donum. Et quia varia sunt dona, inquirens sedulo, quibus & quot donis sit ornata.

Prima **GRATIA** dicitur **Præueniens**, vel excitans, quia hac gratia **DEVS** hominem præuenit, excitat, & auocat à peruersa vita ad bonam, vel à bona allicit ad meliorem; illi consulendo actus pœnitentiæ, & conuersionis, huic vero opera pietatis & deuotionis. Hæc autem inciramenta, vel **vocationes**

cationes variis modis à diuina maiestate fiunt.

1. Principio quidem, intellectum radiis suæ gratiæ illustrando, cuius beneficio quasi fulgore quodam in animam inmisso, homo insolita quadam claritate agnoscit peccati sceditatem, virtutum pulchritudinem, & omnium rerum mundanarum vanitatem. Sic affirmat S. Augustinus sermone 10. de Verbis Apost. *Spiritu Dei, inquit, aguntur illuminante, exhortante & animante.* Atque eodem modo patefacit fidei nostræ veritates.

2. Commouendo affectiones appetitus, ut amorem, timorem, dolorem, & alios. A quibus quando vehementes sunt, ratio trahitur ad amplectendam virtutem, & vitia detestanda. Hæ autem excitationes à Deo variis modis fiunt in hominibus secundum ordinem diuinæ sapientiæ.

Nam primo quosdam vocat tantum per internas inspirationes. uti se vocatum confitetur B. Augustinus lib. 7. confess. c. 8. *Tu vero Domine, inquit, in aeternum manes, & non in aeternum irascaris nobis, quoniam miseratus es terram, & cinerem, & placuit in conspectu tuo reformare deformia mea & stimulis internis agitabas me, Et impatiens essem, do-*

R. S. nec

nec mihi per interiorum aspectum certus
esses.

2. Alios vocat per prædicationem, & Le-
ctionem sacram. Quo modo conuersus est
S. Antonius, cum legeretur in Euangelio S.
Marci illud. *Si vis perfectus esse, & uade &
vende omnia, qua habes, & da pauperibus,
& ueni sequere me.* P. Ignatius quoque
noster post vitas sanctorum lectas de-
creuit se dedere Pœnitentiæ, & vitæ spi-
rituali.

3. Nonnullos vocat per aduersitates,
& ærumnas temporales, sicut B. Lucas re-
fert de filio prodigo, qui ad extremam re-
ductus inopiam, *in se reuersus, dixit:*
Luc. 15. *Quanti mercenarij in domo Patris mei ab-
undant panibus, ego autem hic fame
pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, &
discam, & cat.*

4. Alios quoque vocat per infirmitates,
vt leprosos illos, de quibus B. Lucas scribit
Luc. 17. eos longe acclamasse. *IESV præceptor miserere
nostri.* Et alios multos.

5. Alios aliis medijs, & flagellis ad offi-
cium reuocauit, vt S. Paulum, cui in terram
afflicto & excæcato Dominus de cœlo, vt
Act. 9. habet Lucas, dixit: *Saule, Saule, cur me per-
sequeris?*

6. Non

6. Nonnullos vocat occasione bonæ societatis. Sic prima vice vocatus est B. Petrus ad Apostolatam, nempe opera fratris sui S. Andrea, vt refert S. Ioannes, *Inuenimus Messiam*, inquit Andreas, *quod Ioh. 1. 41. est interpretatum Christus, & adduxit eum ad IESVM.*

7. Alii denique per miracula conuersi sunt ad Dominum. quorum exempla multa sunt in Euangelio. S. Ioannes certe sigillatim de Apostolis commemorat, eos Ioh. 2. conspecto miraculo aquæ in vinum conuersæ, credidisse in Christum. *Et crediderunt, inquit, in eum discipuli eius.*

Hæc gratia, dum præbetur assensus, efficacior redditur, vt euenit in S. Paulo, nam vocanti Domino ilico respondit. *DOMINE quid me vis facere?* Inefficax autem est, quando non præbetur consensus, quem non præbuere, qui Matth. 22. cap. inuitati ad nuptias venire reuerunt, sed se excusarunt.

ALIA est gratia, quæ dicitur *ADIVVANS*, qua homo iam conuersus & iustus adiutus bona opera præstat, diuinis præceptis pareat, & tentationes occurrentes expugnat. De qua Christus respondit B. Paulo roganti
vt q

2. Cor. 12. vt à stimulo carnis liberaretur : *Suffi: et tibi gratia mea.*

EST & alia, dicta IUSTIFICANS, quæ est qualitas supernaturalis animæ inhærens, quæ eam in conspectu DEI pulchram reddit, amicitiamque & amorem eius conciliat. Hanc obtinuit Publicanus, cum longe stans, non audens oculos in cælum tollere dixit, *Domine propitius esto mihi peccatori.* Et vt testatur S. LUCAS cap. 18 *Descendit iustificatus ab illo,* id est, Phariseo.

LUC. 18.

VERVM & aliud genus gratiarum in scripturis inuenitur, quæ dicuntur GRATIS DATÆ, quæ à Deo homini ordinariè conceduntur ad vtilitatem aliorum, vt affirmat S. 1. Cor. 12, Paulus in priore epist. ad Corinthios. *Vnicuique,* ait, *datur manifestatio spiritus ad vtilitatem,* scilicet aliorum. vt distinguantur à gratiis quæ dantur præcipue ad vtilitatem propriam.

Eas autem B. Paulus hoc ordine ibidem enumerat. ALII quidem per spiritum datur sermo sapientia, alij autem sermo scientia secundum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alij gratia sanitarum: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.

S. THO.

S. THOMAS pro maiori intelligentia eadem reuocat ad tria capita. Nam si instruendus sit quispiam in rebus fidei nostræ, necesse est, instructorem clara eius cognitione esse præditum: quæ si sit primorum eius principiorum, vt articulorum Symboli Apostolici, appellatur FIDES, non tamen illa, quæ inter virtutes Theologicas numeratur. Si vero clara illa cognitio sit conclusionum ex principiis deductorum, vocatur SAPIENTIA. Si autem his donis tertio adiungatur alicui DONVM SCIENTIÆ, vt ex naturalibus scientiis exempla desumere possit ad diuinas res clarius explicandas, perfecti instructoris munere fungetur.

EST præterea concionatori Euangelico necessarium, vt doctrinam suam confirmare, fideque dignam reddere possit MIRACULIS, ac primo quidem ægris imperriendo sanitatem, cuius rei causa datur *gratia sanitatis*. Secundò mira quædam efficiendo, vt cum Christus sedauit maris tempestatem, obstupescenribus Apostolis, & dicentibus, vt refert B. Matthæus: *Quis est hic? quia mare & venti obediunt ei.* Huius rei causa datur Gratia VIRIVTVM, sicut ad prædicenda futura, donum PROPHETIÆ, & ad patefaciendas

ciendas arcanas cordium cogitationes, donum DISCRETIONIS spirituum.

TERTIO & postremo instructoris, vel Concionatoris munus est, accurate exponere quæ in diuinis scripturis continentur, & ideo magnam debet habere peritiam scripturæ verborum & phrasium. eoque à Deo datur donum *Interpretationis sermonum*. Idiomata quoque variarum gentium callere, vnde datur donum LINGVARVM.

In Gratiarum numero ponuntur & habitus Virtutum moralium infusi: quos vt dignoscere in personis queas, ex ipsarum actionibus, describam hic eorum nomina, reducendo eos ad quaterna capita 4 virtutum Cardinalium.

I. Est PRVDENTIA, quæ sub se velut species continet, consilium, iudicium, solertiam, & perspicacitatem.

II. Est IUSTITIA, quæ complectitur Commutatiuam & Distributiua, religionem, pietatem, obseruantiam, obedientiam, gratitudinem, vindictam, veritatem, affabilitatem, liberalitatem, & æquitatem.


III. FORTITVDO, quæ magnanimitatem,

MEDITANDI PARS II. 159

tem, magnificentiam, constantiam, & perseverantiam.

IV. TEMPERANTIA, quæ sub se continet verecundiam, honestatem, abstinentiam, sobrietatem, virginitatem, continentiam, clementiam, modestiam, humilitatem, studiositatem, & eutrapeliam.

Sunt denique Virtutes Theologicae tres. *Fides, Spes, Caritas*. Et si locus occurreret, poteris etiam aliquando convertere oculos mentis ad octo Beatitudines, ut fructus Spiritus sancti.



T R A-



TRACTATUS III.

DE MODO EXERCENDI INTELLECTVM
circa verba.

De variis generibus verborum in meditatione expendendis.

CAPVT I.

VERBORVM nomine intelligimus non illa modo quæ ab Evangelista scripta sunt, sed etiam quæ à personis Meditationi interuenientibus proferuntur. Quæ omnia diuidi queunt generatim in declinabilia, & indeclinabilia. Inter declinabilia sufficit nobis Nomen & Verbum, de quibus duobus capitibus sequentibus agemus. De indeclinabilibus autem in quarto.

Nec debet pius Lector contemnere has minutias, cum nec B. Basil, libro primo de Spiritu sancto eas contemnat, sed potius magni

magni faciat: nam non minus nobis seruire-
 rit hic instituto nostro, quam ibi ipsius.
 Sanctus autem ille, postquam dixisset per-
 fectionem nostram confutere in quadam
 cum Domino Deo, quoad fieri potest, assi-
 milatione, & deinde addidisset, ad eam si-
 militudinem non posse nos pertingere, an-
 tequam aliquam DEI notitiam, (quæ or-
 dinariè ex diuina scriptura haurienda) con-
 sequamur, mox subiungit, idcirco in scri-
 pturis non sententias tantum, sed etiam sin-
 gulas uoculas, imo syllabas nobis esse ri-
 mandas. *Nobis, inquit, prescriptum est, ut si-
 miles efficiamur Deo, quatenus humana na-
 tura fas est. Porro similitudo non est absque
 cognitione. Cognitione uero doctrina para-
 tur. Doctrina autem institui est oratio. O-
 rationis partes dictiones & syllaba. Proin-
 de syllabas excutere, non est aberrare à
 scopo*

SED nec pudor vel motus, ne irrideamur
 ab aliis, nos ab hoc studio deterrere debet.
*Quod si quis ridet, inquit idem, nostram circa
 syllabas, ut Psalmi uerbis utar, nugacitatem,
 ipse quidem insuperum sui risus fructum
 metat: nos uero haud unquam cedentes, ho-
 minum contumeliis, nec illorum contumeliose de-
 sectis & stigandi studium deseremus. Tantum*

L

enim

enim abest, & me harum minutiarum pudeat, & si dignitatis vel minimam partem assequar, mihi gratulaturus sim, & veluti res maximas affecuta.

*De exercitio intellectus circa
Nomina.*

CAPVT II.

OMISSIS superfluis Nominum diuisionibus, & declaratione nominum priorum, de quibus supra actum est, tantum breuiter agam de reliquis, initio facto ab Appellatiuis, quæ significant officium, vel aliam proprietatem congruentem personæ. Inter ea est, nomen AMICI, quo Christus appellauit in horto IUDAM proditorem suum, dicens. AMICE ad quid Venisti? Vnde colligitur Christum tanto mortis arsisse desiderio, vt benefactoris loco haberet eum, qui eam procuraret. Et quoniã beneficia recipi solent ab amicis. bonus Iesus Iudam, vt potè suæ mortis procuratorem, amici loco habebat. S. Bernardus scribens in Cantica obseruauit sponsã saepe sponsum suũ appellare nomine DILECTI, ac inde colligit, illud eã fecisse sui erga eum amoris, quem pectori inclusum habebat, declarandi causa. Dilectio enim est actus Voluntatis.

D &

DE ADIECTIVO, quoque ita dicto quod aliis nominibus adiciatur, poteris examinare, an congruenter attribuatur personæ, ut facit S. BERNARDVS in sermonem supra MISSVS EST, in verba angeli ad B. Virginem *Luc. 1.* dicta, GRATA PLENA. ubi indagat, quæ fuerit illa gratiæ plenitudo. Similiter S. HIERONYMVS in verba B. Petri ad Christum dicta. *Tu es Christus filius DEI VIVI.* Deum vivuum, inquit, appellat, ad distinctionem eorum deorum, qui mortui sunt. Idem intellige de Participiis, ut de illo, quod S. Elisabeth dixit ad B. Virginem: BENEDICTA *inter mulieres.* *Matt. 23.*

Pronomina EGO, TV, eorumque affinitia Demonstratiua, magnam solent habere vim & emphasin, tū ad res amplificandas, tum ad extenuandas. Ad extenuandum Iudæi dixere ad cæcum illuminatum, ut refert B. Ioannes *Tu doces nos?* ut liquet ex verbis antegressis. *In peccatis natus es totus.* Ad amplificandum autem dixit Christus Apostolis apud Ioannem, post pedes lotos: *Ego laui pedes vestros,* ut patet ex mox adiunctis verbis, *Dominus & magister.* Rursum Pronomina dicta Possessiva, præter significatum domini crebro expriment & amoris affectum, ut videre licet in histor. *Gal. 37.*

patriarchę Ioseph, vbi sæpe repetuntur pronomina illa. *Videntes autem fratres eius, quod à Patre plus cunctis fratribus amaretur: quando tunicam illius miserunt ad Patrem alludēdo ad hunc amorem dixerunt, & dicitur: tunica filij tui est. Et ipse respondit: Tunica filij mei.* Et mox subiecit Moyfes: *Fleuit filium suum.*

CIRCA Nomina, quibus res diuersę inter se comparantur, inquire tu primum naturam rei, ratione cuius comparantur, sitne v. temporalis an spiritualis? Secundo quantitatem excessus. Tertio causam eiusdem Exempli in sit illud Ecclesiastici ca. 7. *Molius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.* Primum ergo deberes inuestigare, quid in vtraque domo agatur, & tunc facile cognosces, cur consultius sit ad illam, potius quam ad hanc concedere. Deprehendes autem in conuiuiis temperantia limites in comedendo & bibendo excedi, & ideo monuisse Dominum apud Lucana: *auete, ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate.* Deinde, delinquit loquendo *in multiloquio enim, ait Sapiens, non deerit peccatum.* Tertio, ridendo & nugando. Christus autem, teste S. Luca, dixit. *Va vobis, qui ridetis, & habetis consolationes vestras.*

Luc. 21.

Prov. 10.

Luc. 6.

Vestras. Ex altera parte in domo luctus, vel mortui, omnes plorant, compatiendo afflictis, secundum illud Pauli consilium: *Flete cum flentibus.* Quod ad secundum caput at-
 Rom. 12.
 tinet, in conuiujs sunt delitiæ & voluptates magnæ, sed ad breue tempus, & quæ hominem ad æternas inferni pœnas detrudunt, vt accidit infortunato Epuloni Euangelico. Contra in domo luctus, etiam si commiseratio cum lugentibus sit breuis, tamen æternæ vitæ meretur gaudia, vt indicat Apostolus in 2. epist. ad Corinthios: *Momentaneum hoc est leue, &c. æternam gloria possidetur operatur in nobis.* Quod ad tertium, causatur potius eundem sit ad ædes lugentium, quam conuiuantiū est, quia oblectatio virtutis caritatis quæ est in conuersatione lugentium, longe præstat delectatione conuiuiorum, siue nobilitatem, siue utilitatem spectes. Ita docet B. Augustinus sermone 31. de verbis Domini, tractans illa verba Domini: *MARIA optimam partem elegit,* prolixèq;
 Luc. 14.
 demonstrans, qua in re vita contemplatiua præstet Actiuæ: ac tandem concludit, vt contemplatiua sit præstantior, non tamen idcirco actiuam malam. Et BEDA libro 4. in Lucam ca. 12. in verba *Nolite timere pusillum grex,* ait: Pusillum gregē electorum, vel ob-

comparationem maioris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis deuotionem nominat: quia videlicet Ecclesiam suam quantalibet numerositate iam dilatatam, tamen vsque ad finem mundi humilitate vult crescere, & ad promissum regnum humilitatis peruenire, &c.

SVPEREST monere, aliquando in diuina scriptura inueniri genitium, qui significat possessionem, & multos bonos subministrat conceptus, vt fecit Chrysoctomus in opere imperfecto super Matthæum, in verba: *Accipe puerum, & matrem eius*, Ideo, inquit, *non dicit, accipe matrem & puerum eius, sed accipe puerum & matrem eius, quia non propter illam matrem ille filius natus est, sed propter illum filium preparata mater*. Possessor siquidem anteferendus semper est rei possessæ.

SIMILITER inuenitur & Darius quidam denotans commodum vel incommodum: Commodi est in verbis angeli apud B. Lucam apud Pastores dictis, *Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis saluator*. Hæc obseruatio est D. Bernardi in verba Isaia, *Factus est nobis Sapia a DBO*, nam ait. *Non dicit simpliciter, quia factus est sapientia, sed quia factus est nobis sapientia*.

Luc. 2.

sapientia. Incommodi datius est in illis
 verbis Genesios de nuditate Noe à Cham
 filio publicata: *Cum didicisset, ait scriptura, Gen. 9.*
qua fecerat ei filius minor. Sic enim loquitur *hom. 29.*
 B. Chrysostronus in illa verba. *Cognouit*
Noe, qua fecit SIBI. magnam & intolerabi-
lem rem discere voluit, fecit sibi. Et paulo post:
Vidisti, quomodo nihil temerè & fortuito in
diuina scriptura continetur. Qua fecerat sibi,
inquit.

De Exercitio Intellectus circa
 Verba.

C A P. III.

IN Verbis, primo considerandum est eo-
 rum significatū, propriū nē sit, an trans-
 latum, sicut supra ostendimus de verbo
 COLLIGENDI.

2. Obseruandus est **MODVS**, vt facit
 S. Chrysostronus in verba Matthæi. *Dic,*
Et hi duo filij mei sedeant, vnus ad dexteram
tuam, & alius ad sinistram in regno tuo.
 Modo enim imperandi, inquit, **DIC**, de-
 clarabat ardens suum desiderium in hac
 petitione.

3. Potest notari & **TEMPVS**, vt in illo *Cap. 27.*
 loco Matthæi. *Si filius Dei est, descendat*

L 4 nuno

nunc de cruce. vbi cum videantur subiicere debuisse in futuro : Et credemus ei ; tamen subiecere in presentia , & CREDIMVS ei, vt declararent certo se conuertendos, si descenderet

4. ET tempus imperfectum : quod non solum significat operis imperfectionem, sed etiam actione successiua continua longiorem durationem , vt apparet in illo B.

Luc. 4. Luca. ET AGEBATVR à Spiritu in desertum; significat enim eum non tantum coepisse moueri versus desertum, sed toto itinere à Spiritu impulsus donec ad desertum peruenisset. vt liquet & ex illa alia loquendi forma *Ductus est in desertum* At in actionibus successiuis interruptis, designat eiusdem rei iterationem, vt patet in voce usurpata à B. Matth. At illi magis CLAMABANT; nam S. LVCAS bis repetitam dicit vocem.

Ioan. 19. CRUCIFIGE, crucifige & S. Ioannes : *Tolle, tolle*, id est. in crucem age. Similiter liquet in tentationibus dæmonis in deserto factis, quia enim fuerunt minimum tres, S. MARCVS dicit. ET TENTABATUR à Satana.

Matth. 1. 5. SOLET quoque scriptura loco futuri vti non solum presentia, vt in illo Ioannis. *Ioan. 3.* *Qui credit, non IUDICATUR* pro non iudicabitur;

cabitur: sed etiam præterito, ut ibidem: *Qui non credit, iam iudicatus est*, pro, iudicabitur. Idque facit, ut tam certo sciamus futurum, quam si iam esset præsens.

Nonnunquam Verbum subministrat gratiam aliquam sententiam, si sit Actiuum, nam ex verbis B. Marci. *Statim Spiritus Expulit eum in desertum*, colligi potest, gratiam præuenientem à solo Deo, nulla nostra cooperatione, vel merito interueniente, proficisci. Nonnunquam etiam, si sit Passivum ut in dicto B. Lucæ. *ET AGEBA- TUR à Spiritu in desertum*. ex quo colligi potest gratia concomitans, vel adiuuans. Verbum enim *AGI* indicat eum fuisse impulsus, & ductus, qui autem ab alio deducitur, ducenti cooperatur sequendo, vim impellentis, ut accidit iis, qui viventorum impulsu, celerius progrediuntur.

Quandoque vim sententiæ auget Verbum, si sit Impersonale. Exempli causa. Christus dixit ad Saulum in Actis: *Ingrede civitatem, & DICETVR tibi, quid te oporteat facere*. Vbi sciendum est, eum à Christo missum ad Ananiam, quem in visione, ut ibidem dicitur, demonstravit. *Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem sibi manus*. Atque ideo videtur debuisse

debuisset scribi, DICIT & non DICITUR. non autem dixit, vt forte indicaret, id quod dicturus foret, non suo, sed Christi nomine dici. Quæ coniectura inde confirmari potest, quod Dominus noster etiam ipsi Ananiæ apparuerit, reuelaueritque, quid esset dicturus, quod etiam ilico fecit. Nam accedens Paulum, *Saule, frater*, inquit, *Dominus IESVS misit me, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, et videas, & implearis Spiritu sancto.*

*De Exercitio Intellectus circa voces
indeclinabiles.*

C A P. IV.

QVAMVIS in Meditatione necesse non sit anxie vim eiusmodi vocum scrutari, tamen aspernanda non est, vt monet B. BASILIUS in libro de Spiritu sancto quasi præpostera & inutilis hæc diligentia. Nec vero, inquit, quoniam alicui videbuntur minuta, ob id derideri debent, & negligenda, immo quia difficilis inuentu est Veritas, Undique nobis est inuestiganda. Addit autem hanc pulchram similitudinem. Si quemadmodum cætera artes, ita & pietatis acquisitio paulatim minutis accessionibus augetur, nihil est

est pratermittendum ijs, qui ad cognitionē instituuntur, & veluti, si quis prima elementa, & res minutas contemnat, quando ad perfectam veniet sapientiam. Certe maiorem eiusdem libri partem expēdit, vt demonstrat, quam varii conceptus ad fidem confirmandam ex diuinis literis hauriri queant, si verba sedulo ponderentur

S. BERNARDI elegans illa fertur sententia. *ADVERBIORVM remunerator est DEVS, & non Verborum.*

S. Hieronymus libr. 4. in Isaiam annotauit, vobis: *Eccē* plerunque significari rem magnam & obseruatione dignam, vt in illo dicto Isaiæ: *Eccē Virgo concipiet. nouum, inquit, debet esse, atque mirabile hoc.* &c. Ac S. Chrysost. hom. 37. in imperfecto dicit. *Et Eccē ostendens aduerbium est, non corporali aspectu, sed intellectuali. Opera virtutum eius aspiciat, non schema visionis eius.*

Idem hom. 15. in Genesim. postquam dixit in diuinis scriptis nullum verbum esse superuacuum, tractans sententiam illam: *AD A vero nō inuenebatur adiutor similis eius.* Cap. 2. ex coniunctione, *VERO*, colligit, Moysen voluisse indicare, quod discrimen inter mulierem & bestias esset futurū, licet illæ æquē ac mulier in adiutorium Adæ essent creatæ.

Nam

Nam creatæ quidem erant ad auxilium illi præstandum in victu, vestitu, oneribus deferendis vel trahendis, & id genus aliis, sed non in multiplicatione generis humani, ratione cuius voluit Deus quoque mulierem esse rationis participem. Quid *Vult*, inquit, *hac brevis dictio, VERO?* quare apponit consensionem? an non sufficebat dicere, *Ada. non absq³ ratione, neq³ curiositatis gratia inquirendi talia nobis studium est, sed ut doceamus, eos neque distionem parvam, neq³ syllabam unam diuinis litteris contentam esse prætereundam. Non enim Verba tantum sunt, sed & Spiritus sancti Verba magnum in his thesaurum inuenire licet, etiam in una dictione.* Et subiungit. *aliud tamen quoddam adiutorium est multis numeris excellentius, quod à muliere Ada præstatur.*

T R A.



TRACTATVS IV.

DE EXERCITIO
INTELLECTVS CIR-
ca actiones.

*De exercitio intellectus circa ea qua Per-
sona conueniunt, qua A-
gens est.*

CAPVT I.



QVONIAM omnis actio profi-
ciscitur ab aliquo Agente, exer-
ceturq, in loco certo & tempo-
re, tribus capitibus hic Tracta-
tulus absoluetur. In primo age-
tur de Agente; In secundo de actione. In ter-
tio de eius circumstantiis.

QVONAD Agentem attinet Prima diui-
sio est, aliam esse vniuersalem, aliam parti-
cularem Agētem. Vniuersalis est, qui gene-
ratim vel ad omnes, vel ad multas concur-
rit actiones. Inter quos principem locum
tenet DEVS O. M. sicut enim ille condidit o-
mnia,

omnia,

mnia, sic eadem non solum mouet & conseruat, sed etiam in operando adiuuat, secundum illud B. Pauli in Actis Apostolorū.

In ipso enim uiuimus, mouemur & sumus. Ac creatura quidem quæuis eousq; in actionibus suis naturalibus illo diuino concursu opus habet, ut si desit, nihil agere queat, uti nihil egit ignis in fornace Babylonia, cum

Dan. 3.

Deus vim suam subtraxit: non enim solum non exussit iuuenes illos, sed nulla etiam re, vel ipsos, vel vestes eorum læsit.

QVA DE causa & DEVS dicitur Prima causa omnium rerum, primusq; motor. etsi verum est eū alio atq; alio modo cooperari creaturis, accommode ad singularum naturas Nam ad actiones liberas, & voluntarias hominis, quas deliberatè exercet, si virtuti sint affines, dicitur DEVS cōcurrere singulari modo, aut iubendo vel consulendo bonum, vel malum prohibendo & dissuadendo. Et si prauæ sint actiones, dicitur minimum ad eas concurrere permittendo, aut non impediendo hominis libertatem.

AGENS, vel efficiens causa vniuersalis eaque meritoria Christiani hominis, qua Christianus efficitur, vitæq; piæ traducit, dicitur esse Christus Dominus noster, etiam qua homo est, quia morte sua meruit nobis

illa

illa omnia, teste Apostolo. *Ex ipso*, inquit, *1. Cor. 20*
Vos estis in Christo IESU, qui factus est nobis
sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, &
redemptio.

AGENS vniuersale quoq; actionum natu-
 ralium dicitur Sol, & cœlum. Vnde ait Ari-
 stoteles. *Sol & homo generant hominem.*

AGENS vero particulare, semper est res
 particularis. sicut causa particularis caloris
 dicitur esse Ignis. Et condemnationis Chri-
 sti causa vel actor particularis Pilatus. Hu-
 ius generis Agentia vocari soleut & *Causa*
Secunda, vt distinguantur à Prima causa an-
 te explicata.

Nonnulli inter causas numerant *Ministe-*
rialem, eo quod tanquam ministra ad exe-
 quendum concurrat. quo pacto, qui cruci-
 fixerunt Christum, eiusque vestimenta in-
 ter se partiti sunt, possunt dici causa mortis
 Christi. Dico ego, ex secundo, tertioque A-
 gentium genere meditando posse indagari
 sequentia.

PRIMUM est, sint né plura agentia, vel se-
 cus? si sint, considerari potest, num omnia
 concurrerint? vt accidit in consilio apud
 Caipham de morte Christi inito. *Omnes e-*
nim, ait B. MARCVS, *condemnauerunt Marc. 14.*
eum esse reum mortis. Vel non omnia

Luc. 23. vt in alio consilio, apud B. Lucam, eiusdem argumenti, cui Ioseph ab Arimathia consentire nolebat. *Hic, inquit, non consenserat consilijs & actibus eorum* Sic nonnulli contemplatiui credunt plures fuisse Christi flagellatores, vt alter alteri fello successerit

SECUNDO inuestigare potes, habueritne agens alium finem tibi mente propositum, quam actio natura sua postularit. Exempli causa: Finis naturalis flagellationis Saluatoris fuit sanctissimum corpus affligere: at Pilatus flagellationis auctor vel actor alium quoque finem habuit propositum, nempe vt Iudæorum rabiem exsaturaret, & tam diro spectaculo ad commiserationem commoueret, ac denique Christum dimitteret. *Corripiam ergo illum*, inquit apud B.

Luc. 23. Lucam, *& dimittam.*

DE finibus autem istiusmodi examinare debes, sintne boni, an mali? Nam verbi causa, Bonus finis propositus fuit S. Petro, quando auriculam refecuit Malcho: quia, vt quidam contemplantur, id fecit, vt illum liberaret ab aliquo militum insultu. Si malus sit finis, poteris vterius inquirere, num aperte, vel fictè sit malus, bono aliquo zelo tectus? qualis erat Iudæorum, cum apud Pilatum Christum accusarent de crimine

crimine læsæ maiestatis diuinæ, dicendo *Ioan. 9.*
 vt habet Ioannes; *quia filium Dei se ferit. Et*
 humanæ maiestatis. adiuncto illo: *Prohibuit*
censum dari Casari. Hoc enim pallio & præ-
 textu cælarunt malignū suum propositum
 de Christo è medio tollendo, vt refert Ie-
 remias. *Venite mittamus lignum in panem* *Ier. 21.*
eius, & eradamus eum de terra viventium,
& nomen eius non memorietur amplius. Cau-
 sa enim vera erat, quam Salomon memorat
 in Sapientiæ libro. *Circumueniamus ergo* *Sap. 2.*
iustum, quoniam inutilis est nobis, & contra-
rius operibus nostris, & improprietat nobis pec-
cata legis, & diffamat in nos peccata discipli-
na nostra. Promittit se scientiam Dei habere,
& filium Dei se nominat. Factus est nobis in
traductionem cogitationū nostrarum, grauis
est nobis, etiam ad videndum, quoniam dissi-
milis est aliis vita illius, & immutata sunt
via eius.

TERTIO, expende an agens, quod fa-
 cit, sua voluntate impulsus faciat, sicut Pi-
 latus voluit liberare Christum. *Et ex tunc,*
 inquit B. Ioannes, *Voluit occultè dimittere*
eum. an verò aliena? sicut idem Pilatus à
 Iudæis coactus iussit eum crucifigi. Et pro-
 grediendo longius inquirere, precibusne
 an minis agens adigatur. Nam Christus A.

M postea

Matt. 8.

postolorum precibus inductus est, vt tempestatē maris sedaret, vt refert S. Matthæus, *Domine, adiuua nos, perimus. Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Minis verò adactus est Pilatus ad condemnandum Christum. *Si hunc dimittis, clamabant Iudæi, non es amicus*

Ioan. 19.

Cæsaris. Pilatus autem, subiungit S. Ioannes, cum audisset hos sermones, adducit foras IESVM, & sedit pro tribunali. Minabantur enim Iudæi se eum accusaturos tanquam rebellem, dicentes: *Omni qui se regi m facit, contradicit Cæsari*

QVARTO nonis, non solum eos cenferi causas vel auctores alicuius actionis, qui re ipsa eam perficiunt; sed etiam qui auxiliū, consiliū, vel fauorem ad eam præstāt. Hoc sensu S. Augustinus in Psalmum 63 Iudæos ait, causam dedisse morti Christi, quoniam consuluerunt eam, & Pilatum ad eam inferendam induxerunt. *Ei Vos, inquit, Iudæi occidisti, & de occidisti? gladio lingua occidisti, quando clamasti: Crucifige, crucifige eum.*

De Exercitio Intellectus circa Actiones.

C A P. II.

IN hoc capite describam varia actionum genera, & cuiusque naturam explicabo, vt ex

vt ex iis, quæ in Meditationem tuam inci-
dent multiplices fructus colligas, quos S.
Patres ex earum natura, circumstantiisque
hauserunt.

PRIMA diuisio sit Philosophis vfitata.
vt alia Actio dicatur immanens vel inter-
na, & Transiens, vel externa. Internæ sunt,
quæ principium ex se habent internum, &
remanent in nobis. Eiusmodi sunt actio-
nes intellectus vt apprehensio, compo-
sitiõ, discursus. Et omnes actus voluntatis
de quibus paulo post agemus. Deinde Me-
moriæ, tam intellectiuæ quàm sensitiuæ,
de quibus item postea. Similiter tales a-
ctiones sunt phantasiæ, sensus communis,
& quinque sensuum externorum, denique
omnes appetitus sensitiui. EXTERNÆ ve-
rò Actiones dicuntur, primo quæ aliquod
opus permanens post se relinquunt: vt
ædificatio domum. Eiusmodi sunt om-
nes actiones mechanicæ. Deinde, quæ
etsi permanens opus non relinquunt, ta-
men foras prodeunt. vt est loqui, vola-
re, ambulare, nauigare. Adhæc actiones
morales humanæ, quas homo ex ciuilita-
te vel humanitate, remoto omni alio re-
spectu, exercet.

ALIÆ deniq; sunt supernaturales & di-
uina,

M 2

uina,

uinæ, ita dictæ, tum quod dirigant nos ad finem supernaturalem, qui est DEVS, tum quod adiuuante diuina gratia exercentur. QVOTIES ergo in meditatione considerandum quippiam occurret circa actionem, primo ponderandum erit, in quo genere actionum fuerit?

De Exercitio intellectus circa Actionum circumstantias.

C A P. III.

QVEMADMODVM homines, qui sermoni vel colloquio alicui intersunt & aures loquentibus præbent, vocamus CIRCUMSTANTES, sic hoc loco vocamus CIRCUMSTANTIAS accidentia actionis, quæ actionem quasi circumdant. PRIMA est LOCVS in quo exercetur actio, vt flagellatio Christi in atrio Pilati. De loco ergo primum expendi potest, sitne publicus? vt fuit Crucifixionis Domini, in monte scilicet Caluarie, loco supplicii reorû destinato, quod confusionem Christi augebat: An vero secretus, vt fuit carcer in quo decollatus est S. Ioannes Baptista, quod fieri solet ad imminuendum personæ dedecus & confusionem. Hac consideratione vsus est BEDA in cap. 8. Lucæ in explicanda parabola semina-

minatoris, quam Christus quidem propo-
 suit in loco publico iuxta mare, sed inter-
 pretatus est in privato intra ædes: & inde
 salutare hoc documentum depromit, eum
 qui scrutari vult diuinarum Scripturarum
 mysteria, necesse habere vt se recipiat intra
 animæ suæ cubiculum. Deinde considerari
 potest, siue locus amplius & spaciøsus, vt
 fuit vrbs Hierosolymitanæ, in ea enim
 Christus Dominus ad maiorem sui confu-
 sionem elegit mortem oppetere nam cum
 esset regni caput, in ea nobilissimi quique
 Iudæorum sedem suam fixerant. An verò
 sit locus exiguus, vt erat oppidum Naza-
 reth, vbi Christus voluit nasci eandem ob
 causam. Vnde & Iudæi apud B. Ioannem illi *Ioan. 3.*
 id exprobrarunt. *A Nazareth potest aliquid
 boni esse?*

SECUNDA circumstantia est TEMPVS,
 quod diuiditur in QVANDO, & QVANTVM.
 Quando significat determinatam tempo-
 ris partem, eamque vel magnam, vt est an-
 ni integri, vel quatuor eius stationum prin-
 cipalium, nempe VERIS, ÆSTATIS, AUTVMNI,
 & HYEMIS: vel minorem, vt Mensis, hebdo-
 madæ, diei, horæ diurnæ vel nocturnæ: V-
 naquæque enim partium harum potest
 subministrare pium conceptum: sicut sub-

Serm. 1. de Sanctis. ministravit B. Augustino tempus Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, quod incidit in solstitium æstiuum, cum incipiunt dies decrefcere: & tempus Natiuitatis Domini nostri, incidens in solstitium hibernum, quo incipiunt accrescere. Hinc enim salutare documentum de hominis humilia-
Ioan. 3. tione & Dei exaltatione idem sanctus deprompsit. *Vt humiliaretur, inquit, homo, hodie natus est Ioannes, quo incipiunt decrefcere dies. Vt exaltaretur Deus, eodienatus est Christus, quo incipiunt crescere dies.* Et citat dictum ipsum B. Ioannis Baptistæ. *me oportet minus, illum autem crescere.* Et in alio sermone dicit. *Factum est Ioanni, quod ille prædixerat. illum oportet crescere, dixerat de Domino, me autem minus, de seipso. iste minutus est in capite, ille creuit in cruce.* Eodem modo potes considerare puerum Iesum natum in medio hyemis, quando frigus est magnum, & tempore nocturno, cum noctes sunt longæ, vt nocte intempesta & media. Denique **QUANTVM**, significat durationem, vel diurnitatem temporis. unde perpendere potes, quandiu Actio aliqua durarit, vt Christi flagellatio.

TERTIA circumstantia est **M O D V S**. Secundum quem considerare potes, v. c. in di-
 ctâ

sta Christi flagellatione, fueritne dira & atrox; qualis videtur fuisse, cum scelerati milites summis viribus infligerent verbera; an verò lenta & remissa, vt videtur fuisse clauorum infixio, ad augendam supplicii acerbitatem. Dixi posse te hæc considerare, quia Meditationis hoc priuilegium est, vt fas sit imaginari quicquid iuuare meditantem potest, modo nō repugnet diuinis scripturis, Traditioni, S. Patrib. vel bonis moribus. SED & oculos cōiicere potes in Instrumenta, quib. peragitur actio; nam & illa salutarē possūt subministrare gustū. vt v. c. si clauui fuerint obtusi, tunc n. graui⁹ dilacerasēt man⁹ pedesq; Saluatoris. similiter si flagella fuerint confecta ex virgis, vel nodosis loris.

QUARTA est personæ, tum eius quæ agit, tum in quâ actio terminatur. Verum, quia de Agente paulo ante egimus; de iis verò quæ personæ generatim conuenire possunt, in proprio Tractatu vnum tantū hic adiungam Bonum esse, assuefacere se, vt quicquid in hac vita nobis cōringit referamus in auctore Deum, vt causam Agentem primariā, id n. pleriq; omnes sancti fecerūt, & magnū robur afferre solet omnib. actionibus nostris. Exempli causa: Flagellatio saluatoris peracta est quidē ab improbo milite, & à Pilato

Isa. 53.

mandata, sed est præterea præordinata à Patre æterno, vt ipse fatetur apud Ifaiam. *Propter scelus populi mei PERCVSSI eum.* Ac nois, quo plus te in hoc meditando modo exercueris, hoc facilius & promptius te in omnibus negotiis tuis, prosperisq; & aduersis casibus respecturum in causam primam cum magno tuo solatio & animi quiete. Sic fecit Patriarcha I O S E P H, qui etsi probè sciret se à fratribus suis venditum, & in Ægyptum transportatum, vt capite 45. Genesios, illis patefecit his verbis: *Neque vobis durum esse videatur, quod vendidisti me in his regionibus, tamen tandem subiecit non nostro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Quæ cogitatio non solum confortauit eum in arumnis quas est perpessus, verum etiam ad condonandam

fratribus noxam per-

mouit?

TRAC-



TRACTATUS V.

QVEMADMODVM
EXERCENDA SIT
memoria in medi-
tatione.

*De modo fructuosè legendi libros
spirituales.*

CAPVT I.

M Memoria bifariam opem
suam meditationi suppeditare
possit, vel multas rerù piarum
species in ea pro futuris medi-
tationibus recondendo, vel in
ipso meditationis actu eas intellectu re-
presentando, vt eas consideret eo modo,
quo in capitibus sequentibus exponetur:
nunc tantum hoc capite explicabo, quo-
modo dictus thesaurus **LECTI**ONIS spiri-
tualis beneficio colligi queat. Licet multa
alia suppetant media, de quib. alias vt con-
ciones, colloquia Patrum spiritualium &
cōsuetudo ex rebus sensibilibus pium con-

M s ceptum

ceptum depromendi, quæ thesaurum eundem augere possint.

MONEMVS ergo, vt quemadmodum mercatores in omnibus negotiationibus student quæstum facere, & idcirco nullis laboribus parcunt; sic homines spirituales conentur in actionibus suis; ac imprimis in piorum librorum lectione, de qua vt vtiliter instituat, aliqua documenta ex sanctorum Vitæ decerpta adferam.

PRIMUM est, de genere librorum, qui legendi sunt. S. BERNARDVS ad fratres de Monte Dei scribens, ait, debere esse faciles intellectu, & perspicuos, eo quod obscuri & difficiles fatigent caput, & plus ob sint meditationi, quam profint. Proponenda sunt Nouitio planiora, vbi laborandum ei non fit in planitie historiali. Difficilius enim scripturarum lectio fatigat, non reficit animum teneriorem, frangit intentionem, hebetat sensum, vel ingenium. Adhæc idem vehemèter improbat lectionem librorum impertinètiũ, etiamsi de rebus adaphoribus tractent, *Parro, inquit, alia historia delectant quidem, cum leguntur, sed non adificant: quin potius mentem inficiunt. Et in tempore orationis vel spiritualis meditationis inutilia quaque, vel noxia faciunt scaturis*

scaturire de memoria. Et adiungit rationem hanc. Lektionis quippe modum similis meditatio sequi solet.

ALTERVM est, de Fine, qui lectori debet esse propositus, nempe vt fructum aliquem spiritualement ex lectione colligat. S Hieronymus duos commemorat, vnum, quod instruat & erudiat intellectum, alterum, quod voluntatem à mundo diuellat, & eleuet ad DEVM. *Geminum bonum, inquit, cōfert lectio, siue quia intellectum erudit, siue quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Deiperducit.* Quisquis ergo incipis, omnia lege cum fructu tuo, imitareq; nutricem, quæ quidquid cibi sumit, primum se nutrit, ex cibi autē reliquiis lac præbet infanti: nequaquam autem imitare gallinā, quæ quicquid escæ offendit, obiicit pullis, ipsa verò inedia consumitur, & macrescit.

TERTIVM est, de ORDINE inter legendum seruando, vt scilicet primo tempus certum decernatur lectioni, hoc est, quādo, quādiu, & quoties instituenda sit. si decreueris plus quam horam impendendam, numerū horarum definire oportet, & qui libri quaq; hora legēdi. *Certis horis, inquit B. Bern certa lectioni vacandū est.* Et causā mox addit. *Leuiter. n. admissa lectio leui⁹ recedet à memoria;*
se dē

*sed certis ingenis immorandum est, & assue-
faciendus animus. Deinde ordo in vno co-
demq; libro perlegendo seruandus est, vt
nimirum consequenter, & non saltuarim
legatur. Fortuito enim, inquit idem sanctus,
& quasi casu reperta lectio non edificat, sed a-
nimum reddit instabilem. Et S. Bonauentura:*

*Bon. spec.
disc. c. 7.*

Fastidientis est stomachi, multa degustare.
 QVARTVM est de MODO. Quo enim
 spiritu, inquit B. Bernardus, *Scriptura facta
sunt, eo spiritu legi debent: ipso etiam intelli-
genda. nempe excitato & inflammato. Vn-
de si liber sit de paradiso, legi debet animo
alacri & erecto. si de peccatis & inferno, a-
nimo mœsto & tristi. Si de meditatione, vt
est liber præsens, magno desiderio modum
meditandi capiendi aggredi lectionem de-
bes, & senties te adiutum. Alius modus est
vt attente legatur. In omni scriptura enim,
inquit B. Bernardus, tantum distat studium
à lectione, quantum amicitia ab hospitio, &
socialis affectio à fortuita salutatione. Porro
cum leges, ait B. Ephraem, studiosè & accu-
rate leges magna cum tranquillitate atque
industria percurrere versus: & non studeat
duntaxat libri folia euoluere, sed si opus fue-
rit, non pigeat etiam bis, terue, & sæpius eun-
dem reperere versus, vt vim orationis intelli-*

gat.

gas. Tertius modus est, aliquando lectionem interrompere. *Hauriendus est sapor*, inquit idem B. Bernardus, *de serie lectionis affectus, & formanda oratio, qua lectionem interrompat, & non tam impediatur interruptendo, quam puriorem continuo animum ad intelligentiam lectionis restituat.* Et S. AUGUSTINVS in scala paradisi huc collimans. *Modicum, inquit, sapida est lectio exterioris littera, nisi glossam & interiorum sensum sumat ex corde.* Quid enim prodest lectione continua tempus occupare, & scripta sanctorum legendo transcurrere, nisi ea masticando & ruminando succum bibamus? Ac scias, ex hoc legendi modo consequatur te hunc alium fructum, ut multum legere qualibet vice non possis, & si velles amplius, fructum predicationis, teste S. AMBROSIO in libris de officiis, impedires. Quod confirmat experientia in agricultura. quo enim semina spissius in terram coniciuntur, hoc ægrius erumpunt, aut ad maturitatem non perueniunt.

QVINTVM documentum est, de iis quæ in lectione fugienda sunt. Primum est, ne obseruentur elegantiores phrasæ, non verba lecta, nec artificium Rheroricum, sed tantum queratur fructus spiritualis. Secundo, ut

Pron. 3.

Luc. 10.

Lib. 1. c. 5.

do, ut nō respuat libellum, quia parvus est, potest enim fieri ut magnum cōtineat thesaurum. Gemmæ & aliæ res pretiosæ custodi solent in thecis exiguis. Tertio, nec ad scriptoris auctoritatem, magnam vel parvam respiciat: nam Spiritus sanctus nonnūquam & simplicibus altissima patefacit mysteria *Et cum simplicibus*, ait Salomon, *sermocinatio eius*. Quod confirmat quoq; saluator apud B. Lucam. *Abcondisti hæc*, inquit, *à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*. Hæc tria consulit THOMAS de Kempis in libello de imitatione Christi. *Veritas*, inquit, *est in sanctis querenda, non eloquentia. Omnis Scriptura sacra debet legi eo Spiritu quo facta est. Quarere debemus utilitatem potius, quam sublimitatem sermonis. Ita libenter deuotos & simplices libros legere debemus, sicut altos & profundos. Non offendat auctoritas scribentis, verum parua vel magna doctrina fuerit, sed amor pura veritatis se trahat ad legendum. Denique ne desistas à consuetudine quotidie secundū modos iam præscriptos legendi: lectio enim teste Bonauentura dat semina cogitationum. & sicut frumentum seminatum etiam si ad tempus non videatur, tamen paulo post prodit & germinat: sic etiã si fructus lectio-*

nis non mox appareat; obliuiscimur enim saepe hodie quod heri legimus, tamē in ipsa Meditatione ex improviso emergit.

De Exercitio Memoriae circa Personas.

CAPVT II.

ETIAMSI Philosophi duos actus huic potentiae attribuant, quorum vnū vocāt communi nomine *memoria*, quo homo facile rerum praeteritarum recordatur. alterum verò *remniscētia*, quo difficulter homo, & non nisi longo prius discursu per varia loca & res factō recordatur; nos tamen de vtroq; tanquam de vna re loquemur, ostendendo quomodo seruiat meditationi in tribus supradictis reb. subiectis de quilibet exemplis Dico igitur officium huius facultatis consistere, vt primo recordetur similitium, deinde dissimilitium, ac tertio contrariorum. Inter similia numerare potes prophetias, & figuras veteris testamenti, quas collegit P. VINCENTIVS Brunus per omnes ferē historias Euangelicas in quatuor Meditationum libris.

QVOD ergo ad Personas attinet. vbi expendis in meditatione alicuius Nōmē, vide, num in mentē veniat aliud simile nomē q̄ considerādum sit, eaq; occasione poteris
alias

alias quoq; illius Personę conditiones conferre cum hac, vti facit s. Bernardus in sermone supra *Missus est*, de nomine Iosephi Dominę nostrę sponso, & altero Patriarchę in Ægypto venditi. *Quis & qualis*, inquit, *homo fuerit beatus. Ioseph coniice & ex vocabulo, quod augmentum nõ dubites interpretari.* Et postea subiungit. *Et memento magni illius quondam Patriarcha in Ægypto venditi, & scito ipsum istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum & gratiam.*

De vsu Memoriae circa Verba.

C A P. III.

PONDERATO aliquo verbo in Meditatione, vide num aliquod extet ei simile, vel dissimile, vt si mediteris in verba illa à Christo in cruce dicta: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* poteris in mentem reuocare illa s. Stephani in Actis Apostolicis: *Domine ne statuas illis hoc peccatum, quæ sunt similia.* Et postea discurrendo inter se conferre, in hunc modum. s. Stephanus bonus fuit discipulus, doctrinamq; magistri sui probè retinuit, ac factis eandem repetiuit. Similiter poteris meminisse illorum dissimi-

Luc. 23.

Act. 7.

diffimilium vel contrariorum, quæ David filio suo Salomoni contra Ioab dixit, cum ^{3. Reg. 2.} esset morti proximus *Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacifice ad inferos.* Licet hæc verba suo non careant mysterio.

SECUNDO expendendum verbum, quod præ manibus habes, aliter legatur apud alios: quod facile notabis si in tuis meditationibus utare Harmonia Euangelica Ioannis Buisonii, qui ad latus Euangelii, apponit cæterorum Euangelistarum verba, sic ut vno oculorum coniectu ea obseruare queas Exempli causa, S. LUCAS scribit: *Mul-^{Luc. 10.} ti reges & propheta soluerunt videre, qua vos Matt. 13. videtis, Et S. Matthæus. Amen quippe dico vobis, quia multi propheta & iusti cupierunt videre, qua videtis, & non viderunt.* ponens IUSTI, loco Regum. Ex qua varietate lectionis BEDA libro 3. cap. 10. in Lucam hunc elegantem colligit commentarium. *Iusti enim, inquit, ipsi sunt reges magni, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt.* Haud secus S. Hieronymus in Matthæum obseruavit, dum vocationem Matthæi exponit, cæteros Euangelistas illum appellasse LEVI, & non Matthæum, ut famæ
 N eius

eius parcerent. *Ceteri Evangelista*, inquit, *propter Verecundiam & honorem Matthaei noluerunt eum nomine Vulgato appellare, sed dixerunt LEVI. Duplex quidem Socabulo fuit. Matthaeus autem ipse secundum illud, quod dicitur à Salomone. Iustus est accusator sui à principio, Matthaeum & publicanum se nominat.*

TERTIO poteris expendere & alias Scripturæ sacræ versiones exemplo B. Hieronymi, qui in caput undecimum Isaiaë explicans verba illa, *Et flos de radice eius ascendet.* quibus propheta indicavit Christum ex stirpe David nasciturum, observavit melius versione Symmachi illa exponi, qui vertit. *Et flos de TRVNCO eius ascendet.*

QUARTO, si recorderis aliorum verborum, quæ connexionem habeant cum verbis Meditationis, poteris consideranda relinquere intellectui. Sic **AVEVSTIVS** facit libro 1. de sermone Domini in monte ad verba, *Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur,* quæ confert cum aliis verbis B. Ioannis *Illo ergo, inquit, eis, cibo saturabuntur, de quo ipse Dominus dicit. Meus cibus est, et factam voluntatem patris mei, quod est iustitia, & illa aqua, de*
qua

Matt. 5.

qua quicumque biberit, et idem dicit, fiet in eo fons aqua salientis in vitam aeternam.

QVINTO poteris quoque intellectui proponere expendenda & verba quorum mentio fit in alio loco, si ad tuum argumentum pertineant. Qua ratione S BERNARDVS sermone 2 de Assumpt. B Virg. immaculatae virginis vitam acutè ex alia historia Euangelica defendit. Sed forte, inquit, curiosus quispiam requirat, cur in praesenti Euangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat. Arbitror sane, ne id quidem in proposita dissimilitudine dissidere: Virginalem enim domum intelligi volens spiritum solum non incongruè penitentiam, qua malum utique comitatur, absit enim ut proprii quidquam inquinamenti domus hac habuisse aliquando dicatur, et in ea proinde scopa Lazari quaeretur.

SEXTO, poteris dictas collationes quoque facere inter numeros, ut saepe faciunt sancti Patres, & nominatim B AVGVSTINVS, qui semel id facit in tres responsiones S. Petri, ad tres interrogationes Christi, Petre amas me? ac confert cum tribus eius negationibus dicens: Redantur trinae negationi trina confessio.

N 2 DE

De Vsu memoriae circa facta.

C A P. IV.

IN hoc capite ero brevis, quia ex antecessis documentis de personis & Verbis datis, facile potest inteligi modus, quo procedendum sit circa facta. Duo nihilominus subiiciam exempla. Primum, si mediteris quam pio affectu saluator in horto complexus sit ludam proditorem, vti probabile est, poteris in mentem reuocare, quanto affectu bonus ille Pater filium prodigum antea fuerit complexus. Secundo, si mediteris de dura & diuturna morte Christi Domini in cruce, poteris in memoriam reducere, quam brevis & lenis mors fuerit S. Ioannis Baptistæ, cum capite mulctaretur. Idem facere poteris discurrendo per omnes circumstantias ante nominatas.

T R A.



TRACTATUS VI.

DE EXERCITIO VOLUNTATIS IN MEDITATIONE.

De Actibus Voluntatis.

CAP. I.



QUONIAM apud scriptores
 quæstio est, an voluntas nostra
 præter sex actus suos proprios,
 vendicet sibi quoque undecim
 passiones vel affectiones qua-
 tenus versantur circa bonum generatim
 sumptum, quæ attribui solent Appetitui
 sensitivo, ut circa suum sensibile obiectum
 versatur, omnes hic commemorabo, ut re-
 ctius percipias, quod sit exercitium volun-
 tatis in Meditatione. **AFFECTIONES** igitur
 illæ undecim duplices sunt. Aliæ spectant
 bonum, ut amor, desiderium, gaudium, spes
 desperatio. Aliæ malum, ut odium, fuga,
 Tristitia, timor, Audacia, ira. Nam omnis
 potentia appetitiva naturaliter fugit ma-
 lum,

N 3 lum,

lum quod contrarium est bono naturaliter ab eadem ad amato. ORDO harum affectionum fere hic est simulatq; intellectus obtulit rem aliquam velut bonam & conuenientem, voluntas ilico ei consentit, & producit actum amoris & si non sit in eius potestate, succedit voluntas eam assequedi, qui actus dicitur desiderium. Quod si forte eandem assequatur, excitatur gaudium. Ac hi quidem actus tres voluntatis, vt vides, inter se differunt. nam desiderium est rei futuræ, & absentis; gaudiū verò semper est boni præsentis iam possessi. at amor est vtriusq; amamus enim & ea quæ nondum habemus, quia si non amarentur, nec desiderarentur. ac rursus amamus iam possessa, quia non oblectaremur in illis, nisi amaremus. Denique, si bonum appareat arduum, quod tamen obtineri possit, Desiderio accedit spes: at si non possit, Desperatio.

Actus verò qui circa malum versantur, hunc ordinem tenent. simulatq; malū voluntati oblatū est, nascitur in ea Odiū, quæ est auersio quædam à malo, si malum facile euitari possit, sequitur Fuga, si non possit, Timor. si verò videatur virib. posse expugnari, exurgit Audacia. at si omnino impendeat, nascitur Ira, & cupido vindicandi. Quod
 si ni-

si nihil efficere possit, sed succumbat malo irruenti misera voluntas affligitur & oritur in ea Tristitia, quæ affectionū est postrema.

Sex autem Actus, quos diximus proprios esse voluntati, sunt hi sequentes Primus in scholis appellatur VOLUNTAS, sed ut distinguatur à potentia, quæ idem nomen habet, vocabimus VOLITIONEM. Et hic est primus actus quæ voluntas post bonum aliquod ab intellectu propositum exerit, eo quod cognoscat sibi illud esse cōueniens. Secundus dicitur INTENTIO, & est affectus ille, quo homo prætendit bonū sibi propositū, sed vna cum mediis. Exempli gratiā sint ægri duo, quorū alter prætendit sanitatē, sed temperandā per medicinā, alter eandē, sed recuperandam per abstinentiā. Tertius dicitur ELECTIO, quo voluntas ex multis mediis pro libito seligit vnum, quod maximè cōducatur suo fini, ut si alter ægrorum, seligat abstinentiam pro recuperanda sanitate, eo quod ex medicinis magnā solitus sit pati nauseam. Quartus est CONSENSVS, quo voluntas se determinat & applicat ad medium iam electum. Quintus est vsvs, quem nos possumus vocare APPLICATIONEM, quia est actus voluntatis, quo illa omnes potentias applicat ad perficiēdas suas operationes, ut

Intellectu ad considerandum, oculos ad videndum; pedes ad ambulandum, manus ad percutiendum. Sextus est *F R V I T I O*, qui est idem cum Gaudio supra nominato.

De modo excitandi actus Voluntatis, qui versantur circa bonum.

C A P. II.

DIXIMVS primum actum voluntatis circa bonum esse *Amorem*, quo consentit bono, illudque approbat, illi applaudit tanquam rei sibi conuenienti, nec longius progreditur. Hinc fit, verè dici, etiam improbos amare virtutem, quia iudicant rem bonam, eamque probant, sed non sunt solliciti de ea consequenda: non ab similes homini saturo, qui licet amet & probeat lautos cibos, tamen eos sumere detrectat.

Hic amor in virtutem, & res pias (nam in Meditatione hæc quærenda sunt) nascitur ex sedula, attenta & frequenti earum consideratione. sicut natus est in corde prophetæ Davidis amor ardentissimus erga legem diuinam. *Quomodo, inquit, dilexi legem tuam Domine? sibi; respondet. Tot a die meditatio mea est.* Non igitur sufficit leuis aliqua cogitatio, & semel intra centum annos,

nos idq; perfunctoriè, vt vulgo dicitur, facta, ad hunc amorem excitandum, sed opus est consideratione assidua & profunda secundum S. Thomam Aquinatem.

II. DESIDERIVM secundus est voluntatis Actus, quo promouetur ad procurandum rem amatam Differt autem ab amore, quia amor tantum est quædam complacentia in bonum: desiderium verò adiungit alium actum positivum vt bonum consequatur. Quamquam verum est, quoties amor vehemens est, mox sequi desiderium velut eius primogenitum. Daud' ingenti ardebat amore æternæ gloriæ cum diceret. *Concupiscit, & deficit anima mea in atriâ Domini.* Inardesce ergo & tu amore in virtutem, nec dubita mox te flagraturum igne desiderii. Vbi adverte, si contingat te nullo accendi virtutis desiderio, vt minimum procures habere desiderium desiderandi illam, sicut habuit idem Daud' in psalmo 118. *CONCUPISCVIT anima mea DESIDERARE iustificaciones tuas.*

Psal. 83.

III. Actus voluntatis est GAVDIVM, quo gaudet, fruitur, & acquiescit in re amata iam obtenta. vbi nota, etiamsi voluntas in hoc actu conquiescat in bono adepto, non tamen ideo desinere esse actum, gaudium

N s enim

enim illud quietis nomen obtinet, quia motus desiderii cessavit, post quem motum sequitur delectatio in re iam possessa. Res liquet exemplo leporarii canis supra alato. Dum enim conspecto primum lepore se commouet & parat ad cursum, quia apprehendit tanquam bonum sibi conueniens, declarat Amorem: cum verò currit, ostendit Desiderium, quod diximus consistere in quodam motu. ac denique dum mordicus apprehendit, Gaudium, in quo cessat desiderium, & incipit actus delectationis.

IV. Actus est spes, quia ad consequendum bonum amatum sæpe satis non est illud amasse & desiderasse, sed etiam opus est alio fideli & ardenti affectu ad bonum obtinendum, maximè quando in eo obtinendo aliqua occurrit difficultas, licet non impossibilitas. & hic affectus est spes, quo fretus S. Paulus dixit *Omnia possū in eo, qui me confortat.*

V. est DESPERATIO, quæ subito excitatur, simulatque dictum bonum obtentu apparet impossibile, sicut contigit IVDÆ, qui à Satana deceptus, dum perpendit peccatum suum esse grauisimum, & ideo nullum locum veniæ relictum, incidit in desperationem. Licet autem & hæc desperatio grande fuerit peccatum, tamen non semper peccatum est.

tum est, vt cum fures desperant se erepturos thesaurum, cum animaduertunt portas ita obfirmatas, vt impossibilis sit aditus. Et cū quondam Tyranni desperarunt se martyres adducturos ad sacrificandū idolis, eo quod viderent eos in atrocissimis tormētis perferendis non solum esse infractos, sed etiam lætissimos: quemadmodum accidit S. Laurentio illudenti tortoribus, & s. Tiburtio, qui cum nudis plantis premeret ardentēs prunas aiebat se calcare flores & rosas. Et S. Agatha cum duceretur ad supplicia, fatebatur se tam æquo animo ire, ac si iret ad nuptias.

De modo excitandi Actus voluntatis qui versantur circa malum.

C A P. III.

ET si Voluntas, vt dictum est naturaliter refugiat malum bono naturali repugnans, non tamen ita refugit malum morale, vt experientia doctus Apostolus affirmat his verbis. *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum.* Malum hoc loco vocatur, quod apprehēditur tanquam malum, licet reuera non sit tale.

Rom. 7.

I. **A**CTVS est OPIVM, quod non est aliud quam

Luc. 14.

quam displicentia quædam, vel aversio à malo. Pro malis autem ea omnia censere debemus, quæ nos retrahunt ab amore Dei super omnia, atque ideo odio prosequenda secundum cœlestia monita Christi saluatoris. In hunc sensum B. HIERONYMVS exponit illa verba Christi apud Lucam. *Qui non odit patrem suum, & matrem, & fratres & sorores, & filios: adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et quia vera est MAXIMA, nemo laeditur nisi à seipso, debemus etiam odisse nos ipsos. Concitare autem possumus odiū in nos, considerādo primo quod Dominus ipse in allatis iam verbis ad id sit nos cohortatus, dicēs. *Adhuc autem & animam suam.* 2. respiciendo in præmiū apud B. Ioannem promissum. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* 3. perpendēdo, quoties caro nostra aditum obstruxerit Spiritui sancto: sicut possimus omnes dicere cum S. Paulo. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.*

Rom. 7.

II. ACTVS est FUGA, desiderio oppositus. Sicut enim cum amor est vehemens, mox nascitur desiderium, sic cum odium peccati est magnum, mox oritur affectus FUGÆ, si res facilis sit, nā si ardua sit, obrepit TIMOR.

III. ACTVS

III ACTVS est TIMOR qui vt dixi, obrepit, cum malum tam graue occurrit vt videatur expugnari non posse Iuuabit nos ad timendum castigationes diuinas, si cōsideremus, quod Dominus hunc timorem apud Mat- *Matt. 10.* thæum nobis consuluerit. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam, id est, in gehennam; qui sunt obnoxii peccato mortali: vel in Purgatorium, qui veniali. cuius poenę quoq; sunt acerbissime iuxta illud apud Iob. Misereamini mei, misereamini mei, *Iob. 19.* salte vos amici mei, quia manus Domini tetigunt me.* Deinde iuuabit etiam ad eundem timorem, si perpendamus, quam grauiter Dominus homines castigat propter peccata, vt totum mundum diluuiō, & quinque vrbes incendio. Debet quoq; pietatis studiosus & religiosus timere spirituales castigationes, quib. DEVS solet punire ignauos & tepidos, de quibus fusius infra.

IV. ACTVS est A V D E R E, quo affectu vtimur, cum malum impendens est magnum & arduum, sed tamen quod superari queat. Atq; hic actus homini spiritali est necessarius: difficile enim est seipsum vincere, & cōtra naturam ad recreationes & commoditates

ditates pronam perpetuo pugnare. *Nemo enim,*

Eph. 5. *ut scribit Apostolus, carnem suam in-*

Eccl. 2. *quam odio habuit, sed eam fouet & nu-*

trit. Hanc difficultatem fortasse innuit Sa-

lomon, cum in Ecclesiastico dicit: *Cogitavi*

in corde meo ABSTRAHERE carnem meam à

Sino. Vox enim illa significat abstractionem

violentam. Hanc audaciam in corde

suo sentit Apostolus, cum scriberet ad Phi-

Phil. 4. *lipp. Omnia possum in eo, qui me confortat.*

V. Est IRA, & est voluntas acceptam iniu-

riam vindicandi. Et quoniam quicumq; pec-

cat, sibi iniuriam facit, & se offendit, iuxta

Mat. 10. illud B. Matthæi: *Inimici hominis domestici*

eius. ideo quilibet tenetur castigare seipsū,

& iniuriam sibi factā vindicare. Nam si vera

est maxima Aristotelis, *Contraxiorū candem*

esse disciplinā, Et illa B. Gregorii sententia:

S hom.
30. in E-
uang.

Signum dilectionis exhibitio est operis, debet

quiuis re ipsa quoq; per affectum iræ demō-

strare odium amorī contrariū. Hinc enim

tot sancti commoti sunt ad tātam seuerita-

tem ieiuniorū, ciliciorum flagellorum toto

vitæ tempore continuandam. Hinc S. Ma-

ria Magdalena etiam si ex ipsius Dei ore au-

disset sibi omnes præteritæ vitæ lapsus con-

donatos, tamē in vindictam eorum, tam a-

speram, tamq; diuturnā pœnitentiā vsq; ad

extremum vitæ spiritū egit. Prodest quoq;

ad con-

ad concitandam hanc piam indignationem in nos si consideremus, peccatis nostris offensam esse diuinam maiestatem, tam bonam, largam, potentem & liberalem, quæ tot beneficiis nos totos sibi deuinxit

VI. & extremus Actus est TRISTITIA, quæ est cruciatus quidam & dolor in animo obortus, tum ob scelera commissa, tum quod ea non debita seueritate, quam feruens prudentia & discretio postulet, in hoc mundo castigemus. Ad obtinendum autem primum, id est dolorem de peccatis commissis, non parum iuuabit, si foeditatem eorum consideres, & in quam miserabilem statum, ex quo tuis viribus in æternum emergere non queas, te vltro deturbaris. Deinde si perpèdas sola peccata tua causam dedisse morti filii Dei, cum Pater æternus per Isaiam dicat. *Propter scelus populi mei percussit eum.* Quoniam verò sub *Isa. 53.* hoc doloris affectu, continetur quoque affectus cõpassionis, dicam breuiter aliquid de ipsa. Primum ergo dico, hunc maximè optari ab iis, qui meditatur de passione factatissima Christi crucifixi nec mirum, quia illum exigit ipse à nobis apud Ieremiam clamans: *Thren. 1.*
O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, sicut est dolor, sicut dolor meus.
 Et e contrario lamentatur in Psalmis de defectu huius affectus. *Sustinui, quia simul* *Psal. 68.*

mecum contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inuenit.

*HANC compassionem excitare solent considerata sedulo circumstantiæ hæc Quis Quid, Quare, Pro quibus, & quantum &c. Christus passus sit. Et si hæc non sufficerent, sequi potes consilium B. Bonauenturæ ita scribentis *Facies tibi vnum bonum flagellum non multum afflictiuum, & non nimis leue, & in abscondito egregiè te flagella, non parcet corpori, donec bene fuerit perfusum dolore. Et tunc, cum illo senties dolores, ad Christum passum dirige cogitatum tuum. Et non dubites, quod istud remedium multum valet, quia per passionem addiscit homo compati patienti.**

ILLUD deniq; monendum restat, cum voluntas sit potentia spiritalis, & non corporalis, dictos affectus non sentiri sensibilibiter, sicut sentiuntur in appetitu sensitiuo, qui est corporalis & materialis. Quanquam negandum non est, ob arctissimum vinculum, quo colligatæ sunt duæ illæ potentie nonnunquam euenire, vt cum vehementes sunt affectus; altera alteram vicissim commoueat. Hinc est vt ingens lætitia animi prouocet risum, & contra mœstitia gemitum & planctum. Talis affectus excitatus est in animo B. Petri, quando recordatus est sui lapsus.

lapsus. nam, vt est apud B. Matthæum, *exiit Matt. 26*
foras, & fleuit amarè. Sed & illud scire te vo-
 lo tristitiam nobis oboriri non solū ex ma-
 lo quod incurrimus, sed etiam ex boni, in-
 uentia cetera, & impedimentis obiectis, quo-
 minus bono sperato frui possimus.

*Qui horum affectuum conueniant cui-
 que statui vitæ spiri-
 tualis.*

C A P. I V.

NON dubium est affectum DOLORIS pro-
 prium esse Incipientium, quia versamur
 in via Purgatiua, cuius exercitium præfigu-
 ratum est in Iob quando vulneratus sede-
 bat in fimo. *Egressus, inquit scriptura, Sa. Iob. 2.*
tham à facie Domini, percussit Iob huncere pes-
simo à planta pedis & usque ad verticem eius, quo-
testa saniem radebat sedens in sterquilinio. vbi
 vox SEDENS significat longiorem moram, vt
 intelligat Incipiēs se, debere in sterquilinio
 mortificationis & purgationis suorū pec-
 catorum non breui tempore, sed longiori
 immorari, donec pœnitentiæ dolore om-
 nem superioris vitæ squalorem abarserit,
 perturbationesque animi pristinas, & malas
 O incli.

inclinationes coercuerit, prauosq; habitus extirparit.

PRÆTEREA indubitatum est GAVDII affectum esse proprium PERFECTORVM, qui merito post superatam horridam penitentia hyemem, primi veris amoenitate & florida æstate perfruuntur. PROFICIENTES, quoniam medium obtinent, merito nunc dolore se deprimunt, nunc gaudio extolluntur.

Si percundere quantum t. mpus tribuendum sit triplici illi vitæ, purgatiuæ, illuminatiuæ, & perfectiuæ? Respondeo, Purgatiuam durare, donec prauorum habituum, passionumq; inordinatarum vulnera, pus omne & sordes eiiciant. Cauere autem debet incipiens ne admodum dedat se aucupandis contemplationis solatiis, & delitiis, ni p. imum bene sit purgatus & nictus: quia exitus eius infestus, vt postea ostendemus. Deinde non expers esset temeritatis. *Humilis enim, inquit CAIETANVS in S. Thomam, non attentat inchoans ea, qua perfectorum sunt, & multi incipientes in via Dei statim ad contemplationis quietem student volare. In quo non solum imprudenter,*

22. q. 161
art. 2.

sed superbe agunt, non mensurantes se ipsos, & vehementer errant, ac periculose. Debent enim prius domare proprias passiones, ac operationes exteriores, & post frequentes victorias in campo subactis hostibus, in montem quietæ contemplationis ascendere.

Non tamen existimandum est, superbe vel temere eum agere, qui conaretur eodem tendere, ordine debito seruato, ut si post viam purgati, iam confectam, progrediatur ad illuminatiuam, eaque decuria adspiret ad perfectiuam. *Vitiosum* esset, inquit S. Thomas, & presumptuosum, quod aliquis ^{22. q. 130} in actu imperfecte virtutis existens attentaret ^{art. 5. ad.} statim assurgat ea, quæ sunt perfecta virtutis. ^{1.} Sed si quis ad hoc tendat, ut proficiat in virtutem perfectam, hoc non est presumptuosum nec vitiosum. Et faciebat Apostolus, dicens. Quæ retro sunt obliuiscens, ad interiora me extendo, scilicet per continuum profectum. nempe de gradu in gradum saliendo, do- ^{Phil. 3.} nec pertingat ad fastigium. Atque ut notat ibi bene Caietanus, potest cum laude aliquis imperfecta licet virtute præditus aspirare ad exercendum actum intensum & magnum perfectæ virtutis, si propriæ industriae adsit virtus diuina. Addit S. Thomas

Deum nonnullis sanctis propter eximie sue
 conuersionis initium perfectam imperti-
 uisse caritatem, *quod est vinculum perfectio-
 nis*. Quales etiam subito potuerunt dul-
 ci Contemplationis gaudio perfrui, vt per-
 fruiti sunt. S. Antonius, S. Benedictus, S.
 Franciscus aliique multi sancti. Quisquis
 ergo initio conuersionis suæ simili cari-
 tatis dono dignus fuerit factus, poterit
 etiam se totum dare cœlestibus
 Contemplationis de-
 litiis,



T R A



TRACTATUS VII.

DE MODO MEDI-
TANDI SECUNDUM
quinque sensus
corporis.

*In quo consistat modus meditando se-
cundum sensus externos.*

CAPVT I.



MODVM meditando secundum
sensus præscribam, vbi breui-
ter ostendero de quibus sensi-
bus sit sermo, de corporalibus-
né, an spiritualibus. Non enim
ignoro quosdam sanctos docere animam
nostram etiam habere suos sensus, respon-
dentes quinque sensibus corporis, eo quod
Dauid dicat, *Audiam, quid loquatur in me* Psal. 84.
Dominus meus. At sermo Dei, inquit, non
aure corporea auditur, sed animi, quæ dici-
tur fides. Secundum illud Pauli ad Roman.
Fides ex auditu Similiter alibi idem dicit de Rom. 10.
gustu.

gustu. *Gustate & Videte, quoniam suavis est Dominus.* Gustum autem hunc volunt esse sapientiam Sic aiunt, Prudentiam esse animæ oculum, Verum nos hic loquimur de sensibus corporis.

Ad intelligendam ergo hanc meditandi rationem, sciendum est, sicut sensus exercentur circa obiectorum suorum materialium presentiam; sic virtute phantasia posse nos imaginari, quod operemur circa eadē obiecta, quantumuis absentia quo casu sentatio illa dicitur imaginaria. Quoniam itaque diuinæ scripturæ res, quæ sunt ordinaria nostræ meditationis materia, sunt præteritæ, non possumus circa eas sensus externos, quæ postulant rerum presentiam, sed tantum internos exercere, hoc est, imaginationem Est autem hic meditandi modus non absimilis primo meditationis gradui, cuius meminit Richardus Victorinus libro 1. de Contemplatione cap. 6 *Contemplatio nostra, inquit, tunc procul dubio in imaginatione versatur, quādo istarum rerū visibilibus firma & imago in considerationem adducitur. nihil argumentando quarimus, vel ratiocinando inuestigamus, sed libera mens nostra huc illucq; discurret, quo eam in hoc spectaculo nri genere admiratio rapit.* Dixi esse simi-
lera

lem, non eandem primo, quia ambæ confituntur in usu sensuum imaginario Secundo, quia fiunt, vel sine intellectus discursu, vel admodum breui. Differunt autem, quia noster modus meditandi semper conatur ex suis discursibus aliquem fructum spiritualem colligere.

VENIO nunc ad explicandum eius utilitates Prima est, quod ab omni genere hominum etiam imperitorum usurpari possit. Quoniam sicut quisque nouit uti sensibus circa obiecta, quando sunt præsentia, ita etiam potest uti imaginatione circa eadem, quâdo sunt absentia. Ac naturaliter omnes facile discursum tantum circa ea exercere possunt, quantus requiritur. Atque hunc meditandi modum forte intellexit S. Dominicus in recitatione Rosarii, quod omnibus communiter cum meditatione proposuit peruoluendum.

ALTERA utilitas est, quod tollit, vel saltem imminuit fastidium, quod nonnulli sentiunt in eorundem verborum repetitione. Qua de causa à vitæ spiritualis Magistris iudicata est res valde salutaria, immo necessaria, ut sic Voluntati tempus detur excerptendi è rebus meditatæ, aliquem fructum: maxime cum intellectus noster, ut

naturaliter est vagabundus, & nouitatum cupidus, statim prima fronte totum meditationis tempus dirigat ad discursum. Vnde difficulter locus relinquatur Voluntati commouendi affectus, & efficaciter emendationem vitæ proponendi. Quocirca dicunt necessarium esse, vt eadem meditatio sapius repetatur. Repetitio autem vt fiat sine fastidio, plurimum iuuare Applicationem sensuum, eo quod semper apporet aliquid noui, ac ideo posse eam fieri etiam in prima meditatione, vel etiam ante illam, vt liquebit ex Tractatu sequenti.

Tertia, & postrema utilitas sit, quod magno opere iuuat ad commouendos affectus materiæ præsentis respondentes. Etiam si commotio illa efficacius sequatur ex corporalium obiectorum præsentia, vt accidit mulieribus sanctis Dominum in montem Caluariæ comitantibus, quæ quia oculis propriis cercebant quam indignè tractantur, *plangebant & lamentabantur eum*, vt loquitur B. LUCAS. tamen eadem quoque satis efficaciter sequitur ex præsentia imaginaria, quæ in hoc genere rerum tantum nobis est concessa. Vnde profectum est illud vulgare dictum, *Imaginatso facit casum.* Immo in quibusdam ita viget, siue natura,
siue

Luc. 23.

siue vitio, & extraordinaria passione ista imaginandi vis, vt non secus putent se res intueri, quam ii qui oculis corporeis eas cernunt. Horum in numero fere sunt natura melancholici, & foeminae, vnde & magis obnoxii sunt daemouum illusionibus, & visionibus falsis.

Quibus de causis in hoc modo meditandis nonnullis obrepant absurda imaginationes.

C A P. II.

NONNULLI, dum vsurpant applicationem sensuum, solent in phantasia coningere monstrosas quasdam rerum species, eamque ob rem, si tyrones sint incauti tantoperè se affligunt & cruciant, vt saepe etiam caput ledant. Proderit ergo cognoscere, vnde monstra illa proueniant, & quae antidota sint adhibenda.

Dico ergo primo ea prouenire ex imbecillitate anterioris partis cerebri, in qua sedem habet imaginandi facultas Imbecillitatem autem originem habere vel ex naturali complexione: vel ex morbo graui antegresso, vel nimia aliqua capitis fatigatione.

○ § Deinde

Deinde prouenire potest ex tentatione singulari dæmonis, turbare conantis meditationem non solum præsentem, verum etiam futuras, vt prætextu doloris capitis tandem omnia orationis arma abiiciat, & in meram dæmonis ferocitatem redigatur.

Col. 7. 6.
24.

Quos cum spiritali, inquit Cassianus, meditatione nudauerint, velut exarmatos, & omni munitione diuina nudatos, facile vincendos audacter inuadunt. TERTIO

1. p. q. 84.
art. 2.

potest proficisci ex immoderato potu & cibo *Quando enim fuerit, inquit S. Thomas in summa Theologica, multus motus vaporum, ligatur non solum sensus, sed imaginatio, ita vt nulla appareant phantasmata: sicut præcipue accidit, cum aliquis incipit dormire post multum cibum & potum. Si vero motus vaporum aliquanto remissior fuerit, apparent phantasmata, sed distorta & inordinata, sicut accidit in febricitantibus. Si vero adhuc magis sedatur, apparent phantasmata ordinata, sicut maxime contingere solent in fine dormitionis, & in hominibus sobrijs, & in habentibus fortem imaginationem.*

SEQVITVR VT remedia aliqua faciliora subnectam pro singulis casibus dictis.

ctis. Pro primo, si eiusmodi imaginationes absurdæ proueniant ex naturali vel accidentali indispositione capitis, potest auxilium postulari à Medicis. Et quoniam nonnunquam debilitas illa euenit ex Spirituum animalium paucitate, cauenda esset nimia à cibis abstinentia, & plenior refectio sumenda. Vel certe modus ille orandi deserendus est, & meditandum per modum discurlus. P R O altero casu remedium idoneum erit, commendare se Deo, & angelo custodi, aliisque spiritualibus remedijs confessionis, communionis & castigationum corporis technas diaboli illudere, neque magnopere angī, si non semper ex animi sententia, succedat, sed suam infirmitatē coram Deo humiliter agnoscere, & sic fructus orationis non deperibit. Pro tertio casu, antidotum adsignauit S. Thomas verbis illis. *Et in hominibus sobrijs*: indicans si in hominibus sobrijs per quietem phantasmata appareant ordinata & perfecta, multo magis simili forma apparitura in vigilia, cum ratio prorsus viget. Facio finem adiecto hoc monito: quacunque ex causa huiusmodi monstrosæ imaginationes proueniant, ne vim inferas capiti, tibi que damnum, & dæmoni voluptatem

con-

concilies, sed si exempli causa, non potes
 imaginari Christum flagris concisum, ra-
 tiocinari incipias de magnitudine doloris,
 quem perpeffus fit.

*De Applicatione sensuum ad objecta
 propria.*

C A P. III.

DE vnoquoque sensu dicam tria. Primo
 ostendam eius objectū. Secundo quo-
 modo applicandus sensus. Tertio quis fru-
 ctus inde colligatur. Incipiā ab Oculo, quia
 censetur nobilior reliquis. Videt is primo
 omnes colores, tam extremos, vt album &
 nigrum, quam medios ex iis conflatos, vt
 rubeum, viridem, & alios. Secundo videt
 quodcunque lumen, & si vulgi opinionem
 sequamur, etiam tenebras. Quod ad secun-
 dum spectat. Si, verbi causa, meditēris de
 natiuitate Christi, poteris imaginari videre
 te pueruli nati vultum pallidum & liuidū.
 Videre item radios è capite quasi emican-
 tes, & totum stabulum illustrantes. Quod
 ad tertium attinet, & pallore liuoreque in-
 fantuli Iesu poteris colligere eum fuisse
 valde frigidum, cum huiusmodi color nasci
 solet

soleat ex congelatione sanguinis, factaque reflexione in te tuasque actiones, vide an tu aliquid simile infirma ætate pro salute tua passus sis, sicut ille passus est in tenera pro nostra. Si non sis, ex animo dole, & emendationem propone, ac pro tanto beneficio gratias age. Ex splendore quoque intra stabulum, & tenebris extra illud conspectis, hoc documentum salutare capere potes, quod quo adiuuante diuina gratia, vicinior eris Christo, hoc diuini luminis magis particeps eris, quo remotior, hoc peccatorum tentationumque tenebris magis obnoxius.

Sequuntur **A V R S**, quæ strepitus, sonos, & voces percipiunt, siue sint significatiuæ, vt vox hominis: siue non, vt bestiarum, quarum voces tantum sunt signa affectuum quorundam, vt doloris, &c. vti etiam sunt gemitus, & suspiria hominum. In voce vel sono, primo Auditus obseruat, si né acuta, vt puerorum & foeminarum, an grauis, vt est, quæ dicitur Bassi in Musico concentu. Deinde si sit magna & clara, vt fuit Christi expirantis, de qua **S. L V C A S.** *Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait. Vere hic homo filius Dei erat.* Adhæc, si exigua sit & lenta. Quinto. si media,

media,

media, vel mediocris. **Q**UOD ad secundum attinet. Potes imaginari te auribus percipere magnum sancti infantuli ciulatum exacerbitate frigoris profectum. Et quod tertium, fractum tibi inde decerpes, vt pude- fias, quod amore Dei hactenus tantum pas- sus non sis, sed nec gemitum vllum edide- ris. Ex altera parte poteris aures intendere suauissimis vocibus sanctissime matris, qui- bus aliarum matrum instar, partim cantil- lando, partim alloquendo cum solabatur. Sequitur Gustus.

GUSTVS pro suo obiecto vindicat omnes sapores, tam simplices, vti est dulcis & ama- rus, quam compositos, vt est ponticus, ace- tosus & alii. **Q**UOD ad secundum spectat, imaginare te aspicere B Virginem præben- tem lac suo filiolo, rogabisque humiliter ve- duas saltem guttulas tibi in manum tuam exprimat, quarum incredibili dulcedine delibata, cum Architricino, qui in nuptiis in Cana Galilææ, vt habet S. Ioannes, ex- clamarat, *seruasti bonum vinum &c.* adhuc, multo æquius clamabis tu conuersus ad il- lam. *meliora sunt &bera tua vino* vnde & ter- tium pro te colligere potes, nempe vt hinc discas puritatem, & castitatem bona opera personæ reddere suauiora Deo.

O D O.

Io. 17. 2.

Cant. 1.

ODORATVS pro obiecto habet Odores, tam suaves, quam graues, quorum alii simplices, alii compositi sunt, vt sapor. Ad vrsurpandum autem hunc sensum imaginare astare te praesepio Domini, ingratumque Bouis & asini halitum percipere, & intra te dices O paruule IESV, quanta est tua hic miseria, commiseratione omni digna; vt enim frigoris acrimoniam calore halitus animalium temperares, tetrum odorem non refugisti Vnde nec modicam causam tui asperè coarguendi habes, quod non satis sit tibi arcere frigus pellitis chirothecis, nisi etiam illæ suauè aliquid redeleant.

Denique TACTVS pro obiecto suo primum habet quatuor simplices qualitates, hoc est, calorem, frigus, siccitatem & humiditatem. Quoad secundū, imaginare, quasi cum bona venia benedictæ matris, diuinum illud caput manibus tuis reuerenter attingas, & frigore quasi concretum inueniens, firmiter quam ante credas nimium esse frigus. imaginare item vultum totum lacrymulis perfusum. Vnde merito, quod tertium est, nouus tibi orietur pudor, quod nunquam vel vnâ lacrymulâ ob toleratū frigus, pro Christo profuderis, Præterea sensu hoc percipiatur pondera
grā-

grauiané sint, an leuia. Imaginari ergo potes quantum fuerit pondus crucis, quam Christus deportauit.

Illud quoque ad extremum monendus es, vt quando in Meditationis materia non est obiectum materiale, sensus alicuius proprium, sicut crebrius contingit in Odoratu & Gustu, recurrendum esse ad obiecta metaphorica, hoc est ad varias virtutes, quę dicuntur similes obiectis earum materialibus. Vt pro Odoratu potes accipere virtutem Orationis, cum de ea dicat Dauid.

Psal. 140

Ascendat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine, assimilans scilicet eam incenso odorifero. Similiter pro obiecto Gustus, potes capere Verbum Dei, quia id plenum esse suauitate testatur idem in Psalm. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel ori meo?* Ex prioro vero potes illum haurire fructum, vt optes instituere orationem perfectam, quo Domino perfectissimum odorem reddat. Ex posteriore autem pude fieri, si forte moleste, & cum fastidio verbi diuini prædicationi aures præbuiisti.

De

De Applicatione sensuum ad sensibilia communia.

C A P. III.

ARISTOTELES li. 3. de Anima, quinque sensibilia communia numerat, Figuram, quantitatem, numerum, motum & quietem. Quæ dicuntur communia, non quod omnia à singulis sensibus percipiantur, sed quod singula minimum à duobus sensibus licet plura ab aliis, nam alia à tribus, alia à quatuor, vnum etiam ab omnibus quinque sentitur. Primum autem dicam de vnoquoque, quid sit. Secundo à quibus sensibus agnoscat. Tertio adiungam exemplum, quod in Meditatione imiteris Quarto, qui fructus inde excerpti possit.

Initium autem faciendo à FIGURA, quæ non est aliud, quam modus quantitatis in se spectatæ, vt figura trianguli, quadrati, vel quæ ex lineamentis vel terminis cuiusque rei resultat, varias eius diuisiones subiiciemus.

I. Est, Figuræ aliæ sunt superficiales, aliæ corporeæ. Superficiales sunt quæ tantum constant latitudine & longitudine, vt superficies huius chartæ. Corporeæ sunt,

P

quæ

quæ etiam constant densitate, vt est codex, cum est clausus.

II. Est. Figura superficialis in tot species diuiditur, quot habere potest latera. Prima est Triangulus, quia habet tria latera. Secunda est, Quadratum, quia habet quatuor, & sic progrediendo in infinitum. Inter has numeratur & Circulus, quia vna linea in gyrum acta constat.

III. Est. Superficiales, aut sunt planæ, vt in hac charta, aut non sunt, exque duplices sunt. Vel concauæ, vt est superficies interior calicis, vel ollæ. Vel conuexæ, vt est exterior superficies eorundem.

IV. Est Figurarum corporearum, quæ etiam, vt i superficialis, variantur secundum multitudinem laterum. Nam circulo respondet globus, vel pila. Quadrato cubus, vt est tessera. Triangulo pyramis.

VENIO ad secundum, nempe ostendam, à quot sensibus percipiatur FIGURA. Dico autem à duobus percipi, nempe ab oculo, vt patet, vt Factu, hoc enim discernimus monetam esse rotundam, & librum esse quadratū. Spero te daturum mihi veniam, quod tot Figure diuisiones attulerim, quando cognosces sensuum spiritualium copiam & varietatē, quos RICHARD.

MEDITANDI PARS II. 227

DVS Victorin⁹ eruit ex quadrata figura arca
testamenti. QVOD tertiu^m Imagineris vide-
re te coronam spineā boni IESV, & aduerres
esse rotundam. Cogites etiam te eam ma-
nibus vndique attingere, & colliges Chri- *In lib. 2^o*
stum voluisse eam esse, tali figura, vt vn- *Contem-*
dique caput configeret, quod fieri non po- *Plat.*
tuisset, si triangularis, quadratę, vel alterius
figure fuisset. Vnde poteris & tu accendi de-
siderio toto capite cū Christo dolendi, sicut
euenit S. CATHARINÆ Senensi, & aliis san-
ctis.

MAGNITUDO est ea quantitas, vel corpul-
lentia, quam habent omnes res materiales,
quę vel magna est, vel parua, longa vel bre-
uis, crassa vel tenuis, larga, vel stricta, maior
minor, vel æqualis. Nam a quantitate su-
mitur resū æqualitas vel inæqualitas, maior
esse vel minus. QVOD ad secundum, magni-
tudo hæc percipitur visu & tactu videmus
enim dalerum maiorem esse obulo, pennā
crassiorem acu, & tenuiorem digito, bre-
uiorem lancea, sed longiorem acicula.
Quod ad tertium, vbi videris, attrigerisque
vulnus lateris Christi, quoniam lancea
erat crassa & larga, deprehendes tam la-
rum fuisse, vt S. Thomas rotam manum
tuam in illud inserere potuerit. Nam apud

B. Ioannem ita loquitur Christus. *Affer ma-
num tuam, & mitte in latus meum*

NUMERVS primario, vel est vnum vel plus, vt duo, tria, quatuor. Sic Euangelistæ scribunt Apostolos fuisse duodecim. Secundario autem dicitur æqualis, vel inæqualis. Vnde Dominus nolter alloquens Apostolos, qui erant duodecim, dixit eos iudicaturos duodecim tribus Israel. Inæqualis deinde est maior vel minor. Tertio Numerus est par, vel impar. Quarto Numeri habent inter se varia genera proportionum, inter quas vna dicitur Arithmetica altera Musica, tertia Geometrica.

QVOD ad secundum attinet, scias numerum ab omnibus quinque sensibus percipi, si sit in materiis diuersis. Quod visu, & tactu, liquet. nec dubium est de auditu, quoniam in Musica clarissimè notat numerum vocum. Gustus similiter discernit varios sapores in vno eodemque ferculo, & Olfactus odores. Quoad tertium, imaginari potes, exempli causa, te os immittere in vas myrrhatum felle mixtum Christo oblatū, gustuque percipies vini, fellis, & myrrhæ saporem, ac naribus odorem. Denique, quod quartum est, pudefacies te ipse, quod nonnunquam in bibendo præter gustum, secteris suauitates odorum, MORVS

MOTVS Localis (nam de hoc loquimur) fieri potest vel sursum, vel deorsum. Secundo, ante vel retro. Tertio in sinistram, vel dextram, vel latus utriusque contrarium. Quarto potest esse vel rectus, vel curvus. Quinto curvus, vel est circularis perfectus, vel tortuosus.

DE quocunque autem dictorum Motuum, potes primo considerare, siue velox an tardus? Secundo, continuatus, an interruptus? Tertio, rectus vel reflexus? Quarto, vniformis, id est, vnus tenoris, an difformis, vt sit nunc velox, nunc lentus; nunc continuetur, nunc interrumpatur? Quoad secundum, scias motum (hic per motum intelligo rem motam) non solum visu, sed etiam tactu percipi. Sic Medicus manu discernit varios motus in pulsu. Percipit quoque auditus, nam cursum, incessumque eorum notat. Item gustus, notamus enim saporem nonnunquam ab initio lingue deduci in fauces. Quoad tertium, potes imaginari te intueri distensionem brachiorum Christi, dum à carnificibus attrahuntur vsque ad crucis foramina, cogitare te manu attingere eorum iuncturas, & motum ipsum notare. Quoad quartum, inde concludere, se in posterum passurum, vt traharis ad

voluntatem tuorum superiorum.

DEINQVE de QUIETE, id est, de re quieta & firma considerari potest, num tota quiescat, an pars tantum eius. quia firma licet corpore potest pars moueri, sic caput Christi in cruce est motum, licet immotum esset corpus Secundo, an continenter, vel interruptè quiescat. Tertio, si quies sit naturalis, voluntaria, violenta. QVO AD secundum, cum sit contraria motui, & *contrariorum* secundum Aristotelem, *eadem sit disciplina*, dico eam quoque à 5. sensibus cognosci. Quoad tertium, fingete videre Christum in terram sub cruce prolapsum, nec posse, tum ob pondus, tum ob debilitatem, vllum membrū commouere. Ac quarto excita in te confusionem, si aliquando arbitreris te nimio onere regularum tuarum, vel mandatorum superioris tui premi.

*De Applicatione sensuum ad sensibilia
communia secundaria.*

C A P. V.

SECUNDARIA sensibilia ea sunt, quæ nominant Perspectiui vt est distantia, sius, continuum, discontinuum, asperum, politum, Transparens, opacum, liuidum, solidum,

MEDITANDI PARS II. 231

dū, pulchritudo, Turpitudine, similitudo, dissimilitudo Dicuntur autē communia, quia à pluribus sensibus percipiuntur: & secundaria, quia pendent à præcedentibus, & ad ea tanquam ad originem suam reuocantur. Itaq; eodem modo agam de his, vt de prioribus, & primum exponā, quid sint. Secūdo, à quibus sensibus cognoscātur. Tertio, quo modo applicentur. Quarto, qua ratione fructus ex illis colligatur.

DISTANTIA quidem dicitur totum spatium, quod inter duo loca intercedit, quæ vel magna, vel parua, vel mediocris est, potestq; augeri & minui. Quod ad secundum attinet, Distantia pōt cognosci primo visu, vt liquet, secundo auditu, prout vox vel sonus longe, vel prope auditur: tertio & odoratu ex odorum variatione quarto & tactu, quia possum^o digito ab vna parte capitis in aliā translatocognoscere longitudinē frontis, & à naso ad capillos erigendo eundē, dignoscere latitudinem. Quoad tertiū, imaginari potes vulnus pectoris Christi crucifixi, notataq; extremitatum distantia, conuincere ferrum fuisse crassum, & ideo costas dilatatas, lanceamq; sic intro defixam vsque ad cor, vt subito eū enecare potuerit, si ante non obisset. Quam longitudinem,

latitudinemque dicere potuisses tactu manuum, si imaginatus esses tecum S. Nicodemus corpus postea inunxisse. Quod ad quartum, potes excitare in te desiderium, ut aliquando moriaris martyr, post accepta magna vulnera.

SITVS superius à nobis satis est declaratus.

CONTINVVM dicitur, quod non est interruptum, & contra *Discontinuum*, quod est interruptum, & diuulsum. Itaq; continuum potest dici sinistrum latus Christi, discontinuum vero dextrum, propter vulnus, quia pars superior, ab inferiore diuulsa fuit.

ASPERVM est, quod foris in superficie habet partes inæquales, alias erectas, alias depressas, ut asler nondum dolatus, quod etiã dicitur *Rude*. Et contra dicitur *politū*, quod omnino æquale est. Imagineris igitur te nō modo videre, sed etiam tangere panniculos quibus erat inuolutus infantulus sanctus depositus in præsepio, & deprehendere te eos esse rudes & crassos, qualibus uti solent pauperes mulieres, deinde & attingere te fœnum multo magis asperum. Conuersus autem in teipsum, dole & erubescere, quod toties molestè tuleris lecti duritiem aliaq; corporis incommoda.

TRANS-

TRANSPARENS id dicitur, per quod aliud quippiam oppositum videri potest. Et vel est natura liquidum, vt aer, aqua, & similia, vel solidum & durum, vt vitrum, crySTALLUS, & alia. OPAEVM e contra dicitur, per quod aliud cerni nequit. TRANSPARENTIS cognitio seruire tibi potest, si sensum videndi transferas ad corpora beatorum, quando erunt resuscitata. Omnia enim erunt hac dote ornata, & ideo viscera omnia, ossa, intimaque medullae conspicuae in illis erunt, & quoniam speciem pulcherrimam praebunt, egregie immensam magistri & conditoris sui sapientiam demonstrabunt, ac sigillatim venae purpurato sanguine turgidae apparebunt corallinorum ramorum instar quasi eburnae cum mirabili venustate infitorum. Ita affirmat S. GREGORIUS lib. 18. moral. ca. 3. *Patebit corporalibus oculis, inquit, ipsa etiam corporis harmonia: sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi.* Similiter B. Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei, ca. vi. dicit: *Omnia membra & viscera incorruptibilis corporis profutura in laudem Dei.* Quia omnes illi, qui nunc latent harmonia corporalis numeri tunc non latebunt intrinsecus & extrinsecus. Denique S. Lauren. Iustin. *Erit,* P s inquit,

Lib. de
disc. mon.
conuers.
Cap. 23.

inquit, tota eius substantia corporeis oculis visibilis, adeo ut viscerum, ceterorumque membrorum harmonia conditoris declaret magnificentiam admirandam.

LIQVIDVS dicitur liquor, qui facile defluit, ut aqua, oleum, & similia. **SOLIDVM** est eius contrarium, quod non defluit, ut glacies, nix, gummi, aut fluit tardè, ut balsamum, pix, & id genus alia. Quæ varietas discernitur visu pariter & contactu. Vnde si imaginis te gustare vinum felle & myrrha mixtum, quia illa solida sunt, tactu linguæ discernere poteris vinum densius à puro. Similiter unguentum à Nicodemo ad vngendum Christi corpus emptum, etiam manu percipi posset esse densum, quia emerat purum, non multa aqua temperatum, quo esset efficacius.

PVLCHRITVDO, quia consistit in debita proportione partium inter se, siue vocum, siue colorum, siue membrorum, hinc est, quod percipi possit & auditu, quando consistit in vocibus (vnde dicimus nos audisse bellam Musicam.) Et visu, quando proportio consistit in rebus visibilibus vnde Ciceron. *Pulchritudo, inquit, est debita partium proportio cum suavitate colorum.* Contra dispropertio, vocatur Turpitudine. De Christo
Domi-

Domino dicit Psalmista *speciosus forma praefilijs hominum*. Et postquam fuit flagellatus, dicit Isaias: *Non erat ei aspectus, neq; decor.*

SIMILITUDO denique & Dissimilitudo in quantitate percipitur, ab oculo & tactu. Quod quia manifestum est, facio finem de sensibilibus communibus.

De Colloquijs.

C A P. V I.

COLLOQUIVM significat sermonem cum alio habitum, quæ vox postea translata est ad sermonem, qui cum Deo in orationibus & Meditationibus instituitur. Potest autem fieri primo mentalibus tantum verbis, hoc est, intus mente, ut nullum verbum ore proferatur, sicut in primo regum fecit Anna in pulchro illo, affectibusque pleno ad Deum alloquio. *Domine exercituum, si aspiciens sideris afflictionem famula tua, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancilla, dederique serua tua sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vita eius, & nouacula non ascendet super caput eius.* Quam orationem, inquit scriptura, in corde factam. *Loquebatur, inquit, in corde suo, & non mouebantur labia eius mouebantur, & non*

pensa

penitus non audiebatur. Secundo potest fieri colloquium oratione vocali; verum id non conuenit fieri, nisi quando homo est solus, vt fugiat vanam gloriam, & non incurrat notam hypocritæ.

DICAM autem primo, ad quos solent fieri Colloquia. Secundo, de qua materia. Tertio quo modo Quarto, quo tēpore. Quinto, quot fieri queant. Omnia a sumam ex libello Exercitiorum B.P. nostri IGNATII.

QVOD ad primum attinet, solent primo institui ad DEVM Dominum nostrum eo modo, quo ille facit post primum punctum Meditationis de excitando in nobis amore diuino. SVSCIBE Domine & inuersam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, atq; voluntatem meam. Quicquid habeo, & vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, & me tua prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tuū solum cum gratia tua mihi dones, & diues sum satis: nec aliud quicquam ultra posco. SECUNDO solent fieri ad quamlibet trium diuinarum personarum, vt docet in Meditatione de Incarnatione. Colloquū, inquit, postremo subijciam disquisitis verbis, quibus diuinam quamlibet Personam dignè valeam compellere. TERTIO ad Christum, qua homo est, vt ait in secundo colloquio

quo Meditationis de vexillis. **QUARTO** ad beatiss. Virginem, ad quam dirigit primum dictæ Meditationis Colloquium Imo in omni meditatione, in qua plura vno facit colloquia, semper primum dirigit ad illam. **QUINTO** ad Angelos & alios Sanctos, vt dicit in puncto quinto Exercitii secundi primæ hebdomadis *In exclamationem, inquit, prorumpam, quomodo angeli me custodierint, suiq; etiã tuuerint suffragij: quomodo Sancti pro me intercesserint* **SEXTO** ad omnes creaturas sensibiles, vt est in eodem loco. *Quomodo creatura omnes (discursu facto per singulas) me sustinuerint tamdiu. Et huc uq; Vinum sustinuerint.* **SEPTIMO**, etiã ad illas, quæ sunt sensuum expertes, vt arbores, plantas, herbas, & similes. Ita ipse ibidem, *Et terra germina debita & iudicta loco mihi seruiuerint.* **OCTAVO**, imo & ad inanimatas, vt cælum, elementa, & cætera. **VLTIMO**, potest etiam homo in se conuertere sermonem, arguendo seipsum, vt fit in primo Colloquio primi Exercitii in prima hebdomade. *Arguam, inquit, insuper me. percontans, quid hætenus dignum memoratu egerim pro Christo.*

Quod ad secundum attinet, id est, ad materiã Colloquiorũ, ea præscribitur primo in Colloquio secunda Meditat. primæ hebdomadæ.

madæ. *Terminanda*, inquit, erit demum meditatio hac per Colloquium extollendo infinitã Dei misericordiam, quod vitam ad hunc vsq; diem prorogauerit, & gratias pro vitibus agã. Secundo, in colloquio primi exercitii tertie hebdomadæ. In Colloquijs, inquit, aliquid est petendũ, iuxta presentis rei rationẽ, & vel prout sentio in me consolationem, & vel perturbationẽ, prout virtutem vnã, & vel alterã expeto: prout in hanc & vel illam partem de me statuere intendo: prout et de re, quã contemlor, tristari & lo vel latari. Deniq; postulandum erit illud, quod circa rem certam aliquam maxime desidero.

Quod ad tertium, id est, Modum spectat. Dico ea verba seligenda, quibus maximè affectus animi exprimãtur, vt dicitur in Colloquio meditationis secundæ, in hebdomade secunda. Facileq; assuefacies te ad illa excogitanda, exigua etiã industria adhibita, si attentè & crebro perlegas B Augustini Soliloquia, & S Bonaventuræ pharetram, quia abundant huiusmodi verbis. Secundo dico debere fieri cum confidentia, & quasi familiariter Colloquij enim proprium est, ait P. Ignatius in colloquio primæ meditatio primæ hebdomadæ, *Vt fiat sicut amici sermo ad amicum*. Tertio, cum affectu reuerentiæ & timoris, *Vt serui ad Dominum*, sicut ibidem dicit.

cit. nunc gratia. aliquid petendo, nunc culpam aliquam incusando meam: interdum propria qualibet communicando, ac petendo consilium super illis, sine auxilium. Quarto, verbis officiosis, & reuerentiæ plenis, non vsurpando vocem T V, vel V O S, ad sanctos, vel DEVM, vt monet annotatione tertia. *Aduertendum*, inquit, in operatione, qua precipue est voluntaria, cum Socio, aut mente cum Deo loquimur, vel sanctis eius maiorem à nobis exigi reuerentiam, quam dum & sum intellectus circa intelligentiam potius moramur. Cuius ratio forte est, quia modus ille humilis & reueres loquendi facilius nos mouet ad deuotionem, quæ maxime postularur in Colloquiis.

Quod ad quartum, id est, NUMERVM attinet, dico conuenire, vt in fine cuiusque meditationis instituantur, vt liquet ex toto libro Exercit. Deinde dico, posse fieri vnum post quodlibet Meditationis punctum: sic enim fit in Contemplatione de excitando in nobis amore Dei. Tertio, quoties impetus spiritus ad hoc impellit, vt docet in Exercitio tertio primæ hebdomadæ *Deinde*, inquit, *occurrente nobis spiritali motu ad Colloquia Veniemus*. Vbi nota, etiam si hæc soleant esse meliora, vt hic dicitur, quia fiunt cum ardore interno, qui

qui accendit cordis affectum, vt etiam prorumpat in verba : tamen posse etiam fieri, cum ille ardor spiritus abest, imo possent fieri ad excitandum spiritum, sic enim paulatim incalesceres, & inflammatus longe feruentius ea perficeres. *Sape enim*, inquit, B. Bernardus, *corde tepido & arido orationi incumbimus: persistentibus autem repente infunditur gratia. Quibus studium est orare frequenter, experti sunt, quod disco.* Denique vt finem faciam, Colloquiorum copiam affatim, si velis, suppeditabit tibi Ioannes Bernardus, in suis de passione Domini discursibus, siquidem omnes contexti sunt ex pulchris variisque Colloquiis.

T R A-



TRACTATUS VIII.
DE VARIIS MEDITA-
TIONVM FORMIS.

PROOEMIUM.



TIAM SI existimem ha-
ctenus me sponsioni meae
fecisse satis, & in tractati-
bus secundae partis sufficien-
tia documenta ad Medita-
tionem rectè instituendam tradidisse, ta-
men quoniam visum est multo facilorem
posse reddi hoc sanctum exercitium vsur-
pandi rationem, si formula quaedam vel ex-
empla meditandi, addatur, quibus practicè
documentorum dictorum vsus ostendatur,
non dubitavi hanc quoque suscipere provin-
ciam, quam confido instar certae cuiusdam
manuductionis fore ad intelligendum, &
facilius perdiscendum hoc exercitium, i-

Q. nra

Witaborg³ industriam padotriba, qui ut puerum doceat recte formare litteras, primum ei ob oculos ponit scriptionis paradigma, tum calamum digitis eius inserit, manuq³ sua cum eius manu coniuncta primas litteras ducit, quas ille solus deinde perficiat, & sic tandem artem scribendi condiscat.

ET quoniam, meo iudicio ad tria capita revocari possunt omnia Meditationum argumenta. Primo breviter delibanda est rei historia. Secundo, perpendenda sunt verba eo ordine, quo habentur in Evangelio. Tertium, ex utroque est conflatum, hoc est, ut puncta certa excerpantur, licet meditanda quoque sint verba que intra unum, alterumq³ punctum intercedunt. Et hoc melius est reliquis, quia fructus utriusq³ exolumentis, nempe distinctione, quam continet primum, que plurimum confert ad facilitatem, & observationes à sanctis datas retinendas. Atq³ hoc usurpavit B. P. noster IGNATIVS
in Ex-

in Exercitiorum spiritualium libro. Exemplum formabo vtriusque capitis. Ceterum, quia infanti facilius redditur māducatio v. c. pomi si in partes, & buccellas diuidatur, necesse est, vt tyronibus in hac quoq; materia consulamus, & quam distinctissime singula exponamus quæ ad recte meditandū pertinent. Et quauis in quavis historia ordinariè inueniantur persona & verba, atq; actiones consideranda, tamen maioris facilitatis causa, vnum exemplum proponā meditationis circa personas, alterum circa verba, & tertium circa actiones. Ac deinde ternas alias, quæ dictas tres partes comprehendant, ac primam quidem in Puneta abstracta. Secundam in textum, & tertiā, vti dixi, in vtrasq; Pro complemento deniq; huius tractatus adiciam & vnā de applicatione sensuum, vt huius quoq; meditandi formula & exemplar extet. Ac quoniam multi recitant multas orationes vocales, vt clerici, & religiosi, qui partim diuinū quotidie officiū

perlegunt, partim, vt sacerdotes, sacrifici-
um missa peragunt, vel aliàs orationes, vt
reliqui omnes, dicunt: adiungam etiam
formulam de iis meditandi, quæ maximè
iuuabit vt attentè, & cum deuotionis sen-
su dicta preces instituantur. Meditatio si-
quidem in intellectu notitiam, & in vo-
luntate pium affectum, ac spiritalem dul-
cedinem gignit. Vnde quando vocaliter a-
lia preces recitantur, excitatur quasi in-
telligentia & affectus, quem in meditatio-
ne sensimus, & ipsa preces deuotè dicuntur.

OCCVRRIT & aliud, vt finem mo-
nendi faciam, etsi verum sit, sermonem
vocalem originem ducere ab intellectu, &
idcirco illi propriè tanquam suo fonti at-
tribui: (quid enim est aliud ratiocinatio
vocalis, nisi discursus intellectusore expref-
sus?) tamen pro pleniore clarioreq; intelli-
gentia in dictis formulis meditandi etiam
loquendi munus tribuemus & memoria,
& voluntati, ac etiam sensibus, quando
aliquid in meditatione agent.

EX.

EXEMPLVM MEDITANDI

circa Personas.

C A P. I.

Pro argumento huius Meditationis
 sumpsi historiam sepulturæ Christi Do-
 mini, quia in ea multæ conditiones, ex iis,
 quas diximus circa personam indagandas,
 prehenduntur Quarum quædam sunt in
 textu expressæ, quædam verò hauriuntur
 ex ipsa mysterii explicatione Quare visum
 est, antequam incipiam, te monere, etiam-
 si in dicta historia sint multa verba, multa-
 rumq; rerum gestarum in ea mentio fiat,
 quæ possent etiam in meditatione expen-
 di, me tamen non allaturum nisi illa, quæ
 conducunt ad notitiam personæ, quando-
 quidem hic mihi non est aliud propositum,
 quam Specimen aliquod dare meditandi
 circa personas. Atque idem obseruabo in
 duobus capitibus sequentibus.

MEDITATOR ergò facto signo crucis, &
 accepta aqua benedicta, ad spatium ora-
 tionis Dominicæ, salutationisq; angelicæ
 pedibus insistens cogitet se in conspectu
 Dei, & Virg omniumq; sanctorum versari:
 deinde in genua se coniciat, & Orationem
 Præparatoriam in hunc modum perficiat.

Q 3 DOMI-

DOMINE, supplex rogo te, vt mihi gratiam impertiri digneris, quo vires, actionesq; meas omnes ad diuinę Maiestatis tuę gloriam expēdam. Tum proximē summam percurrere historiam, hoc modo. CVM Ioseph impetrasset a Pilato corpus Domini, & inuento Nicodemo, omnia comparassent, quę erant ad sepulturam necessaria, deposuerunt illud de cruce, & balsamo conditum sepelirunt. Iudai autem signato monumento adhibere custodes. Post hęc petitionem subiunge. Obsecro Domine, vt intus in corde eum dolorem sentiam, quę senserunt dicta persona, & alii qui sepultura interfuerunt. Demum pro compositione loci, ob oculos ponēdum est palatium Pilati, inde vię ciuitatis vsque ad montem Caluaris, tum mons ipse, & post illum via ad sepulchrum, atq; ad extremum spelunca monimēti. Post quas præparationes, intellectu dabis principium meditationi, modo sequenti.

INITIO itaq; facto à persona IOSEPH, dicit Intellectus. De hoc homine video multas cōditiones indicari, quę eum commouerint vt auderet corpus IESV à Pilato exposcere, atq; etiam autoritatem conciliant, vt impetrarit, & sunt, quas recenset S. LUCAS. ECCE, inquit, Vir nomine Ioseph, qui
erat

erat nobilis, Decurio, Vir bonus & iustus: hinc non consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathea ciuitate Iudæa, qui expectabat & ipse regnum Dei. Hic audacter introiit ad Pilatum, eo quod esset discipulus IESU, occultus autem propter metum Iudaorum, ut tolleretur corpus IESU. Imò S. Hieronymus affirmat ob hanc ipsam causam Evangelistam tam accuratè, tantoq; affectu conditiones eius describere.

Incipiendo autem à Nomine, quod diximus primum esse inter ea quæ ad personam, qua compositum est, pertinet, dicit *Intellectus*. Nomen hoc significat *AVGMENTVM*. unde colligo, licet hic homo bonus esset & iustus, Dominum tamen voluisse hoc nomine appellari eum, à quo esset sepeliendus: ut disceremus ipsum libèter cedere in prædâ eorû, qui in bonitate & iustitia incrementum facere conantur. Unde & *voluntas* subiungit. Propono & ego me deinceps adiuuante diuina gratia progressum facturum in Spiritu, ut Dominus se quoq; in meas manus iradat, egoq; tanto thesauro donatus locupletior fiam, maximè cum norim hoc loco non progredi, esse quoddam regredi, iuxta dictum *B. BERNARDI. Non progredi, est retrogredi.* & *Serm. 9. de nativ.* illud *S. LEONIS. Nemo ad cognitionem*

Veritatis magis propinquat, quam qui intelligit in rebus diuinis etiam si multum proficiat, semper sibi superesse quod querat. Nam qui se ad id, quo tendit, peruenisse præsumat, non quaesita reperit, sed in inquisitione deficit.

Transeundo dehinc ad Nomen patriæ ARIMATHÆA dicit. Inuenio hanc vocem significare, EXCELSA. & subiungit. Video utroque nomine Excellentiam quandam denotari, quæ aptissimè in hunc sanctum hominem conueniat, quippe qui opus tam excellens & heroicum designare ausus fuit, ut palam postularet se donari corpore IESU crucifixi, eoq; tempore quo Christo, omnibusque eius affectis tota ciuitas erat infestissima.

DE ÆTATE dicit intellectus. Credo eum, ut traditio antiqua habet, fuisse admodum affecta ætate & senem, imò existimo eum hac graui ætate non parum commouisse Pilatum, ut promptius petitioni subscriberet, conuenienter dicto sapientis. *Corona dignitatis senectus, quæ in vita iustitia reperitur.*

QVOD ad AFFECTVS animi attinet dicit intellectus. Animaduerto eum aliquanto tempore fuisse exagitatum metu. Textus enim ait *Eo quod esset discipulus IESU, occul-*
tuo itz.

tu tamen propter METVM Iudaorum. Quod
metus forte in illis iniitiis excusari potuit,
eo quod in duabus rebus confisteret, quæ
apud homines merito timeri solent. Primo
in iactura honoris, quem tanti facere solent,
maximè nobiles, vt non dubitent pro eo
conseruando & fortunarum & vitæ discrimen
adire. Certo autem constabat illum
iacturam honoris sui facturum, hoc est, pu-
blicè eiiciendum fuisse è Synagoga: quæ erat
quædam excommunicatio & infamia. Se-
cundo metus consistebat in periculo vitæ.

Hic Memoria dicit Recordor eodem
metu consternatos fuisse parentes cæci na-
ti, quando à Pharisæis accersiti sunt, vt re-
sponderent de causa filii illuminati, vt scri-
bit S. Ioannes. *Hac dixerunt, inquit, parentes* Ioan. 9.
eius, quoniam TIMEBANT Iudaos. Iam enim
conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confitere-
tur esse Christum, extra synagogam fieret. Et
propter metum amittendæ vitæ Memoria
in medium profert eorum consilium de oc-
cidendo Lazaro, eo quod propter illum
multi ad Christum conuerterentur. *Cogitu-*
uerunt autem, ait S. Ioannes, Principes Sacer- Ioan. 12.
dotum, vt et Lazarum interficerent, quia
multi propter illum abibant ex Iudæis, et cre-
debant in IESVM.

Q s Lon-

Longius verò progrediens intellectus ait. Sed affectum hic deprehendo quoq; metui contrarium, cum dicat Euangelista *AVDACTIR introiit ad Pilatum*. Facinus profecto æterna memoria dignum. probè enim sciebat se hoc factò nō paucorum, sed multorum, nec plebeiōrum modo hominum, sed etiam magnorum Dominorum tam politicorum, quam spiritualiū odia in se concitaturum.

Et hic voluntas dicit. Omnibus viribus deinceps cōtendā, semel me ab intolerabili mundani timoris, respectuumq; humanorū tyrānide vindicare, vt magno erectoq; animo animosum istum Iosephum imiter, ad obtinendam vitæ Christianæ perfectionem cum integra diuinorū mandatorum, omniumq; regularum mearum obseruatione.

Transit deinde Intellectus ad consideranda, quæ ratione corporis in eum conueniunt: & incipit à VIRIBUS, ac dicit. Cogito eas fuisse exiguas & imbecilles, Primo, quia tales esse solent in senibus. Secundo, quia inæsticia ex dira illa Magistri tractatione orta plurimum eas fregerat. Tertio, quia illo die satis se fatigarat crebris discursibus, nunc ad Pilatum, nunc ad quærendum Nicodemum, nunc ad alia, vt coemenda aromata,

MEDITANDI PARS II. 251

mata, & linteamen corpori inuoluēdo idoneum, comparanda item instrumenta necessaria, ad Christū è cruce deponendum, vt scalas, malleos, forcipes. Deniq; eadem instrumenta vsq; ad montē Caluariæ deferendo. Credo enim eum illa suis, nō alienis ministrorum suorū humeris, deuotionis & uenerationis maioris erga Magistrū declarandæ causa gestasse. Neq; defuerint, quæ plerunq; senib; accidunt maximè si nobiles & locupletes sint, aliæ corporis indispositiones: ac speciatim vidēdi hebetudo, quæ non parū ei molestiā attulerit, cum tanto pondere onustus per tenebras iter faceret. Cōsidero præterea difficile esse ætate prouectis in montem ascendere, sicut erat huic graue nunc scilas ascendere, nunc descēdere, idq; uti proculdubio fiebat, crebrius. Accedit, quod lōgitudo vestis, illis regionib; vsitata, non parū ascensum retardabat. quanquam mihi persuadeo, quod eam deposuerit, ut expeditius muneri suo facere satis posset. Hic applico oculū, & imaginor me videre varios corporis situs valde incommodos, quos in ascēsu scalarum vsurpare debebat, quos tanta celeritate, & agilitate vsurpauit, ut dexteritatem cuiusvis adolescētis ualentissimi superasse videatur. Intellectus quoq;

breni

Isa 35.

brevi suo discursu dicit. Nimis liquidò colligo ex hoc conspectu vim deuotionis, gratiæq; diuinæ isti sancto seni collatam. Memoria verò suppeditat prophetiam Isaia. *Tunc saliet sicut ceruus, claudus.*

Ex quibus discursibus voluntas sic loquitur Statuo nunquam me poenitentias, aliaq; spiritus exercitia prætermisurum, etiam si ad summam peruenerim senectam, sed potius ea aucturum, si superior, vel confessarius consenserit: cuius iudicium iam inde à meæ conuersionis initio, tanquam doctrinam approbatam, & ab omnibus sanctis usurpatam, sum secutus, ne vel in paruis à carnis cupiditate, vel in magnis à Sathana in fraudes impellerer, qui in angelum lucis se transfigurans solet hominem à quibusdam exercitiis absterrere, vt tandem eum ab omnibus deuotionis exercitiis reddat alienum, ac exarmatum pro suo libito tractet, teste CASSIANO collat. 7. c. 24.

VENIENDO deinde ad bona externa, primum, inquit Intellectus mihi occurrit generis Nobilitas, vt asserit Euangelista, **Nobilis**. nec tantum nobilis fuit nobilitate omnium nobilium communi, sed etiam senatoria, & Magistratus, quod *Decurionis* uoce græcè significatur. Quibus duobus,

Memo.

Memoria adiungit tertium bonum, cuius meminit S. Matthæus, opum dicens. *Cum autem sero factum esset, venit quidam homo diues.* Quas tres conditiones expendens Intellectus dicit, videtur mihi non solum verisimile, sed etiam verissimum, quod annotauit S. Hieronymus, eas non parum iuuisse apud Pilatum, ut sui magistri crucifixi IESU corpus impetraret. Solent siquidem huiusmodi magno loco esse apud viros Principes, tum propter dona, quæ pro liberalitate innata solent largiri, tum quia in pretio sunt apud populum. Atque hic prorumpit in colloquium cum hoc sancto sene, uti sequitur.

O Bone & iuste IOSEPH, in te rectissimè competunt dotes nobilitatis & opulentia, quia eas in tua petitione fructuose usurpasti. Bene collocata sunt munera & seruitia quæ ante contulisti in Pilatum, quia effecerunt ut impetrares tam nobile margaritum, tam diuitem thesaurum. Discite nobiles & diuites libenter facultates vestras erogare in pauperes, ad lucrificandum Christum: maximè cum dixerit ipse, sibi factum, quicquid illis feceritis, ac insuper remunerationis loco addiderit vitam æternam, hoc est, seipsum. Ita enim enim ipse patefecit his verbis.

Ioan. 16. verbis. *Hac est vita aeterna, et cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti IESVM Christum.* Ac regrediens intellectus ad discursum, ait. Credo Christum voluisse sepeliri à nobilibus, nam eum illi professionem faciunt, & alienissimi sint à furo & mendaciis, facilius illis fides præstari potuit post resurrectionem affirmantibus se eum suis manibus sepelisse, & grande saxum monumento aduoluisse.

Transiens deinde ad dona gratiæ quæ in eo fuerunt, dicit. Noto imprimis FIDEM in illis S. Lucæ verbis. *Eo quod esset discipulus IESV, occultus tamen dicitur enim doctrinam Christi recepisse.* nec dubito in illis primis initus bonum Magistrum tolerasse, ut delitesceret, in typum futurorum olim Martyrum, qui ad aliquod tempus, ut tyrannorum effugerent rabiem, abdebant se in latebras.

Matt. 10. iuxta doctrinam ipsius ore datam. *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Video quoque expressam hanc fidem in illis aliis verbis. *Quia expectabat & ipse regnum Dei* SPERM quoque demonstrabat, voce EXPECTABAT, nam quæ expectamus, sperare solemus: imò ipsum expectare, iuxta S. Thomam, est quidam spei actus.

Agnosco & CARITATEM, quia ex amore,

quo prosequeretur magistrum suum IESUM, permotus, imò impulsus fuit postulare corpus à Pilato, nullis precibus aut muneribus aliorum ad hoc inductus. Quamquam in eodem facto demonstravit quoque caritatem in proximum: nam simulatque impetrauit, certiore reddidit bonum Nicodemum, ut meritum tam pii sanctique operis illi commune faceret.

Obseruo & modestiæ virtutem in loquendi modo, quo apud Pilatum est usus, nam, quod nobilium hominum est proprium humaniter tantum, ut habet textus, eum ROGAVIT. Unde colligo, bonum spiritum, licet ardens sit, tamen non reddere hominem insolentem ut civilitatis metas excedat, sed potius perficere. Quo cõfert & Memoria, quod Christus de lege veteri dixit. *Non veni solvere legem sed adimplere.*

Matth. 5.

Animaduerto præterea in hoc homine iusto IUSTITIAM Legalem. Nam cum lege cautum esset, ne quis de cruce deponeretur, qui publica iudicium sententia ad eam condemnatus esset à Præside potestatem eius deponendi petiuit: probè conscius fideles beneficio fidei Christianæ non eximi ab edictis secularium Principum, sicut docet B. Paulus in epist. ad Romanos. *Omnis anima* Rom. 13
subli-

Tit. 3.

1. Pet. 2.

sublimioribus potestatibus subdita sit. Idem commisit Tito commendandum Christianis. Admone illos subditos esse Principib. & Potestatibus. Eandem doctrinam trahit B. P. TRVS in priore epistola, scribens generatim ad omnes fideles. Subditi estote, omni humana creatura propter DEVM, siue regi quasi pre-sellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis. Hanc iustitiam demonstravit in consilio, in quo de capiendo & occidendo Christo tractatū est, vt testatur S. LVCAS, diceas. Hic non consenserat consilio & actibus eorum.

Deniq; deprehendo & animi FORTITVDINEM, qua roboratum eius pectus excluso omni metu, quo hactenus oppressus iacebat, audacter ingreditur ad Pilatum, & corpus Iesu vita defuncti requirit.

Hic Voluntas (eius maximè, qui cogitationes versat de religiosa vite iugo suscipiendo) dicit. Etiam si ego certis de causis ad exemplū illius sancti Ienis cogar esse Christi discipulus occultus, tamen quando præsto erit tempus patefaciam animi mei sententia audacter: speq; magna teneor, Dominum non minus mihi, quam huic discipulo occulto, ad futurum.

Ad extremum obseruo & Magnificentiam eius in nobili & sumptuoso sepulchro, quod

quod excisum erat in saxo marmoreo albo
 rubenti colore mixto Eandem demonstra-
 uit in coemenda nobilissima syndone, cui
 corpus inuoluit. Et quanquam impensæ hæ
 videri possint exiguæ, tamen magnificæ
 fuerunt, tum ob præstantiam materiæ; tum
 propter finem illi propositum, vt sic vene-
 raretur DEVM. Adiungo & LIBERALITATEM
 superiori virtuti, qua tam prompto alacriq;
 animo suum ipsius monumentum Domino
 consignauit. Proprius siquidem eius actus
 est, munera offerre Atq; hæc satis sint, circa
 personam boni Ioseph; nunc transeamus
 ad Nicodemum.

Incipiendo autem à Nomine dicit intel-
 lectus, illo designari *sanguinem innocentem.*
 quod video conuenienter illi impositum.
 quia manifeste eximiam innocētiam suam
 demonstrauit apud Principes Iudæorum,
 cum iam iam iniiciendæ essent manus in
 Christum, quando iis dixit. *Nunquid lex no-* Ioan. 7.
stra iudicat hominem, nisi prius audierit ab
ipso, & cognouerit, quid faciat?

Quod ad ÆTATEM attinet, senem fuisse
 inde colligo, quod Christo affirmanti, si sal-
 uus esse vellet, eum debere renasci, respon-
 derit. *Quomodo potest homo nasci, cum sit* Ioan. 3.
 SENEX.

R Fuit

Fuit & eruditus homo, immò Legis Doctor, vt ibidem testatus est Christus. *Tu es magister in Israhel, & hac ignoras?* Professione quoq; Phariseum ex verbis B. Ioannis aduerto. *Erat, inquit, homo ex Pharisais, Nicodemus nomine.* Postea autem factus est Christi discipulus, sed occultus, quia de illo scribitur. *Hic Venit ad Iesum Nocte.* Fuit & genere nobilis, quia vocatur, *Princeps Iudeorum.*

Magnificentiam item in eo obseruo ob aromatum copiam, quæ inungendi Christi causa coemit, nempe librarum centum. *Ioan. 19.* Ferens, inquit B. Ioannes, *myrrha & aloes quasi libras centum.*

Video in istis ambobus senibus alias nonnullas quoque eminere virtutes. inter quas prima est misericordia, cuius proprium officium est, sepelire mortuos. Altera est Religio. puto enim verum, quod de iis contemplatur S. BONAVENTURA, quod ad primum crucis conspectum genuculati sint, & saluatorem adorarint, idemq; iterarint, cum propius astarent, antequam clamos refrigerent, deinde manum suam reuerentiæ ergò osculati sint, antequam membrum aliquod attingerent Humilitatem etiam declararunt, tam in deportandis aromatis

matibus & instrumentis, tum quod sine vllorum ministrorum opera depositionem peregerint.

Rursum, in his duabus personis, omnibusque aliis qui præsentes in hoc opere sepulturæ fuerunt, inusitatam deprehendo tristitiam, & ingentem luctum. Quo Memoria adducit illud Psalmi 29. *Ad vesperam demorabitur fletus.* Ex omnibus autem maxime luxit sanctissima Mater. In cuius confirmationem memoria profert illud dictum Noemi. *Non Vocetis me Noemi id est, pulchram, Sed Vocate me Maria, id est, amarā, quia amaritudine valde replevit me omnipotens.* Tam afflicta autem erat B. *Ruth. 2.* Virgo, vt nulla ex re caperet solatiū. Quam in rem memoria suggerit illud Ieremia. *Vox in excelsis audita est lamētationis, luctus & fletus Rachel plorantis filios suos & nolentis consolari, quia non sunt.* *Ier. 31.*

DE PILATO, quantum ad mysterium atinet. Considero primo eius prudentiam politicā, quod Iosepho licet genere nobili, aliisque rebus claro non ante Christi corpus concesserit, quam intelligeret expirasse. Secundo, quod non à militibus corporis custodibus, sed à Centurione eorum percōtatus fuerit de Christi morte, tū vt debitū in gubernatione

ordinem, proximos sibi ministros cōsulendo, teneret; tum, quia illi quam aliis maiorem habendam fidem credebat. Tertio, quod subito executus sit, quod postulabatur Quarto, quod animo tranquillo; nam post concessum Iosepho corpus, cum Iudæi proponerent consiliū suum de adhibendis monumento custodib. beneuolè & humaniter, & quidem saluo priori postulato, responderit. *Habetis custodiam me, custodite, sicuti fecit.*

Mat. 27.

IN Centurione, primò expendo obedientiam, quod non nisi Christo mortuo è monte Caluariae discesserit. mandatum enim illi erat, caueret, ne quis Christum adhuc viuum de cruce deponeret Vnde Matthæus. *Centurio autem, inquit, & qui cum eo erant, custodiebant IESUM.* Secundo, fidem, in veritate Pilato explicata. Tertio, conuersionem miraculosam, occasione clamoris Christi, dum expiraret, secutam. percutiebat enim pectus suū, & Deum glorificabat.

De Iudæis principiū sumam ab eo, quod simulatè ostenderint corpus Christi sepulture mandandam. *Iudæi, inquit B. Ioannes, quoniam Parasceue erat, & non remaneret in cruce corpora Sabbatho. (Erat enim magnus ille dies Sabbathi rogauerunt Pilatum, ut frange-*

Ioan. 19.

frangerentur eorum crura, & tollerentur.)

Deprehendo, ait Intellectus, in istis bellu-
inum & abominandum vitium hypocriseos,
de quo toties à Christo fuerunt reprehensi.
De qua re memoria suggerit illud apud
Matthæum. *Vae vobis scribae & Pharisæi hy-* *Mat. 23.*

poerita, quia similes estis sepulchris dealbatis,
qua à foris parent hominibus speciosa, intus
verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni
spurcitia Colligo autem hoc vitium ex ra-
tione ab iis allata *Ve non remaneret in cruce*
corpora sabbatho: nempe solliciti erant, ne
externa cerimonia violarent Sabbathum:
sicut alibi, non introierunt in pratorium, &
non contaminarentur, sed & manducarent
Pascha: & tamen nō dubitarunt iisdem die-
bus moliri necem filii Dei. Deinde non pe-
tierunt frangi crura, vt possent eos sepelire,
quia vbi cognouerunt eum expirasse, non
amplius de eo humando solliciti fuere.

ADVERTO deinde in appetitu eorum sen-
sitivo T I M O R E M : nam cum intellexissent
Centurionem, vt est apud Marcum, dixisse *Mar. 15.*
Verè hic homo filius Dei erat post clamorem
in cruce auditum. Et omnis turba eorum, &
babet Lucas, qui simul aderant, ad spectacu-
lum istud, & videbant, qua fiebant, percuti-
entes pectora sua, reuertebantur: miris scilicet

illis conspectis conuersi, non dubium est, quin vehementer timuerint; ne exurgeret aliquis tumultus in populo. In confirmationem huius Memoria producit consilium in domo Cayphæ habitum de capiendo

Mat. 26. Christo: ubi omnes dicebant. *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Cuius liquidam rationem reddit S Lucas, dicens. *Timebant vero plebem.*

OBSERVO quoq; dicit Intellectus, magnâ eorum versutiam, dum trepidatione suam religionis velât pallio: sic enim sua petitione ostendunt se loqui voluisse Pilato. In lege nostra habemus festû Paschæ, maiore lætitia, quâ cetera esse celebrandum, vt scriptû est in libro secundo Esdræ. *Quia sanctus dies Domini est, nolite flere, & nolite contristari: gaudium etenim Domini est.* Iam autem videmus, si corpora ista in crucibus maneat, diem fore luctuosum & tristem, atq; ideo rogamus, vt cum tua bona venia deponantur. Verus autem scopus eorû ad quem collimabant, erat, vt sublato ex oculis hominû corpore Christi, ipsi trepidatione liberarentur, & impendens euaderent discrimen. Longiusq; procedens Intellectus dicit. Cogito etiam furiosam sceleratorum illorum hominum rabiem erga mâsuetum agnum Iesum

Iesum necdum fuisse post tantas cruciatus
 exfaturatam, & ideo nouo eoq; acerbissimo
 dolore fractionis crurum voluisse eos ad-
 augere. In cuius cōfirmationem ait Memo-
 ria, Esse legem de hoc augmento Deutero-
 nomii 21 cap. *Quando peccauerit homo, quod
 morte plectendum est, & ad iudicatus morti
 appensus fuerit patibulo, non permanebit ca-
 dauer eius in ligno, sed in eadē die sepelietur:
 quia maledictus à Deo, qui pendet in ligno, &
 nequaquam contaminabit terram tuam.* Et si
 forte potius credendum sit, aut Romanos
 non approbasse istam legem, aut voluntate
 diuina factum, ne allegaretur, Christus e-
 nim non fuit crucifixus propter cōmissum
 aliquod peccatum, nam vt ait Isaias, *iniqui-
 tatem non fecit, neque dolus fuit in ore eius.*
 Quod autem B. Paulus in epistola ad Gala-
 tas, illa verba. *Maledictus homo, qui pendet
 in ligno,* applicat Christo, id fecit, quia ex-
 trinsecus ita videbatur, alludens ad illud a-
 liud quod scripserat ad Romanos. *Deum si-
 lium suum mittens in similitudinem carnis
 peccati, & de peccato damnauit peccatum in
 carne.*

Isa. 53.
Gal. 3.

Rom. 8.

Ex toto superiori discursu colligo, inquit
 Intellectus, horrorem magnum contra hy-
 pocrisin, eo quod Iudæos tam abomi-
 nables

R 4 nables

nabiles reddiderit, & tam acriter saluator
eam coarguerit. Atq; hæcenus vidisti trium
potentiarum, id est, intellectus, memoriz,
& voluntatis vsum, sicut erat doctus. Pro-
sequendo autem longius discursum, inteli-
lectus ait. Cerno in illis ipsis Iudæis summam
animi inquietudinem & angorem, quem
colligo ex eorum verbis, cum dixerunt. *Re-
cordati sumus.* Secundò magnam indigna-
tionem, dum dicunt. *Seductor ille.* Tertio,
stuporem ingenii in ratione data Pilato.
*Ne forte veniant discipuli eius, & furentur
eum, & dicant plebi. Surrexit à mortuis.* qua-
si asseueratio discipulorum sufficere potuif-
set ad credendum, Christum verè resurre-
xisse: nisi alia grauiora accessissent testimo-
nia. Sicut & in alio consilio hebetes, & sim-
plices se demonstrarunt, cum imperarent
militibus, vt diulgarent corpus Christi
furto sublatum à discipulis, ipsis dormien-
tibus. Quare aptissimè in illos conuenit il-
lud Dauidicum. *Defecerunt scrutantes scru-
tatio.*

DEMVM de Persona CHRISTI nota-
eum S. LEONE, cum tantum fuisse obedi-
entiæ, & obseruationis legis amatorem, vt
etiam mortuus illi parere voluerit. nec e-
nim permisit prius se deponi de crucequã
potestas

MEDITANDI PARS II. 265

potestas à Pilato facta esset. Atque hic imponitur finis, cum sequenti Colloquio.

DOMINE, obsecro te, vt patiaris te à me quoque spiritualiter in anima mea sepeliri, maximè quando ad sacram mensam communicaturus accedo: ac vt in ea dignè permaneas, da mihi puritatis candorem, caritatis rubedinem & duritiem constantiæ, quæ sepulchrum illud materiale habebat. ac postremo humiliter precor, vt auxilio gratiæ tuæ mihi eam custodiam imperpetuas, vt furto eripi nunquam possis: sæpenu-mero enim expertus sum verissimum esse

illud tui prophætæ dictum: *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.*

Psal. 126.

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

R 5 FOR-

FORMVLA MEDITANDI IN
verba.

C A P. II.

PRO huius Meditationis materia accipi
prima verba Domini nostri ex septem
in cruce dictis, & sunt illa apud B. Lucam.
Luc. 23. *PATER ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.*
Sed antequam incipiam, de duobus es monendus. Primum est, quod in verbis, præter eorum significationem propriam vel metaphoricam possit, imò debeat indagari eorum veritas, quæ tunc est, cum omnino respondent rei significatæ. Alterum est, cum voces & verba, teste Aristotele, sint signa, quibus exprimimus internum animi conceptum & affectum, conuenit meditatio scrutari, quænam illum maximè exprimant.

Præmissis itaque tribus primis Preparationibus, sicut in præcedenti Meditatione (quæ semper in omni Meditatione eodem modo sunt) percurres historiam breuiter in hunc modum. *ORAT Dominus pro suis crucifixoribus.* Deinde subiice petitionem hac forma. Da mihi rogo Domine IESV Christe gratiam delibandi dulcedinem, quam absconditam seruas in dilectione inimico-

N micorum, vt ego quoq; ad illos diligendos inflammari queam. Deinde pro compositione loci dicit. Ante oculos mihi obiicio totam planitiem vertici montis Caluariæ circum circa subiectam, plebæis spectantibus confertam, & ante illos in modum circuli vniuersam militû turbam, ac in medio erectam crucem sanctam.

Ac primo perpendo vocem PATER, quæ appellatiua est, & optime conuenit in Patrem æternum, quia teste Apostolo, *ex illo omnis paternitas est in cælo & in terra.* Et *Eph. 1.* progrediendo longius, dicit. Credo saluatorem ab hac voce inchoasse orationem, vt commoueret (loquendo nostro modo) viscera amoris erga se, vt postulata impetraret. Ordinariè enim nihil negari solet ei qui amatur.

Quo pacto, Memoria dicit Recordor eû, cum morti proximus animã suam commēdaret Patri æterno, eadem voce inchoasse sermonem. PATER *in manus tuas commendo Spiritum meû.* Quas duas petitiones inter se conferēs Intellectus, ait, Cum idē sit vtriusq; orationis initium, verisimile est æquali desiderio, vt exaudirentur, factas. Et longius progressus, subiicit. Itaq; apparet amabilē IESVM tanto teneri desiderio salutis inimicorum,

corum, quanto tenetur propriæ, ac proinde sicut indubitatum est, quemque ex animo desiderare obtinere, quod postulat pro se, sic certò mihi persuadeo Christum ex animo petiuisse, vt crucifixorib. suis noxa condonaretur.

Hæc doctrina voluntas persuasa, varios in se affectus concitat, vt tristitiæ, & verecundiæ, atq; etiam amoris & desiderii, dicens. Vehementer affligor, & pudore suffundor, me hominem non modo professione Christianum, sed etiam Ecclesiasticum, vel religiosum; tam ægrè adduci posse, vt minimas etiã offensas, licet crebro ab aliis, & instanter rogatus, syncerè condonem. Ac deinceps subiungit. In posterum certe, si casus huiusmodi inciderit, licet grauissima afficiar iniuria, firmiter apud animum meum statuo, me non solum adiuvante amabilis IESV gratia spontè lapsum condonaturum inimico; verum etiam laboraturum, vt immunis sit à pœna, si quam apud magistratum incurrisset; atq; etiam Dominum Deum oraturum vt liberetur à culpa. Atque hætenus vidisti, qui actus fuerint srium animæ potentiarum circa primum verbum. Transimus nunc ad secundum.

DIMITTE, inquit Intellectus. Hæc vox prima-

primario suo significato denotat, liberum
 & solutum amandare, Vbi Memoria in con-
 firmationem adducit illud ex Genesi. **NOE**
dimisit coruum ex arca, qui egrediebatur, & Gen. 8.
non reuertebatur. In quæ verba sic discurret
 Intellectus Quoniam Noe dimittendo ex
 arca coruum, nullo funiculo in pede astri-
 ctum emisit, sed liberum & solutum, euenit,
 vt egressus fuerit, & non reuersus ad Noe.
 Inde colligo, Christum Dominum hac pe-
 titione à Patre cœlesti petuisse remissionē
 peccatorum, omnino liberam ab omni cul-
 pa & pœna Aduerto, addit Intellectus, &
 vocem **DIMITTERE** iuxta significatum pri-
 marium supponere, illum qui dimissus est,
 & solutus, ante fuisse ligatum, & conclu-
 sum, sicut fuerat coruus in arca In secunda-
 rio vero, quod est, condonare, vel ignosce-
 re, etiam supponi, quod offendens fuerit li-
 gatus, & reus pœnæ. Et hic Intellectus in-
 stituit Colloquium ad Christum, hac for-
 ma. **DOMINE**, mihi videtur, te in petitione
 tuâ sic voluisse loqui **PATER** æternæ video
 istos meos crucifixores quasi fune sceleris,
 quo meum sitiunt interitum, irretitos, ac-
 retro tuæ vindictiue iustitiæ carceri in-
 clusos, atque idcirco supplex rogo Pater, vt
 tuæ misericordiæ cultello funem hunc re-
 scindas,

scindas, eosq; sic solutos & liberos dimittas, vt nunquam ob lapsus suos in manus diuinæ iustitiæ tuæ incidant, ac in posterum ab æternæ damnationis suppliciis in carcere inferni luendis immunes existant. Ac progrediendo longius, animaduerte Saluatorem, dum ait, DIMITTE, postulare condonationem perfectam. Nam cum varia opprobria ab inimicis suis sustinuerit, vt flagella; coronationem, colaphos, crucifixionem, non tamen dicit PATER dimitte talem, vel talem iniuriam mihi illatam, sed indeterminate loquitur, quasi omnes cupiat condonari. Quæ amplitudo veniæ, quo rectius intelligatur, notandum est duo esse genera condonandi. Vnum est lætorum. alterum est Iudicum. primi exemplum sit hoc. Quidam interfecit alterius filium. Supplex petit à patre delictum sibi condonari. Pater condonat quidem, sed apposita conditione, vt vel exculet in alieno solo, vel certe vt non compareat in propria patria, siue semper, siue ad certos annos. Secundi exemplum sit huiusmodi Iudices in carcerato indulgent, vt ex secreto carcere migret in publicum, vel vt non exeat propria domo, vel si liceat exire, saltem non exeat è ciuitate. vel denique liberat, cum

exce-

exceptione *de supervenientib. novis indicis* ut vocant hoc est, ut liceat causam totam à capite contra reum repetere, si novis indicis manifestetur eius noxa. Collato itaque utroque genere condonationum, cum illa, quam postulat Christus, video magnum, inquit Intellectus, inter eas discrimen.

Hic Memoria proponit varietatem lectionis, dicēs. Memini B Augustinū, aliosq; Patres, loco vocis *DIMITTE*, legere *IGNOSCA*. De quo verbo, Intellectus Compositū est, inquit, ex *IN*, quod significat *NON*, & voce *NO SC E*. primarium ergo significatum est, *non cognoscere*. Secundarium, *condonare*. Vnde sequitur sermonem hic esse de condonatione tam perfecta, ut offendens equè reddatur securus, ac si offensus nesciat se ab eo iniuria affectum. Ut autem accuratius intelligatur hoc condonationis genus, intellectus varios excogitat securitatis modos, quos reus, qui aliquem graviter læsisset, posset desiderare, & in hunc modum exorditur. Si nobilis iniuria affecisset plebeium, hic verò ab aliis rogatus promississet se non ulturum iniuriam, non esset tamen nobilis ille valde securus, quia plebei facile pactam fidem violant. Itaque
neces.

necesse esset, talem promittere cum discrimine suarum fortunarum, si pactis non steterit; quia licet fere soleant esse exiguae, tamen magni eas faciunt, & iacturam earum facere valde pertimescunt. Verum quia & inter rusticanos homines reperiuntur, qui nihil illas pendant, non posset ille omni metu vacare: quo vacaret, si rixa fuisset cum homine nobili; pluris enim illi verbum vnum faciunt, quam fortunas suas, & maxime si interposito iureiurando, ut fieri solet in pacis foederibus, securitatem promiserint. Verum enimvero nec sic videtur usquequaque tuta securitas: nam aliquando accidit, & nobiles vehementia perturbationis in transversum actos datam verbis fidem violasse. Iam quoniam conscientiae aculeus, & peccandi vel offendendi **D**ei scrupulus natura sua plus hominem constringere solet, quam verba sola, forte securiorem futurum se putabit, si non iam plebeium, aut nobilem, sed religiosum offenderit, tantaque pietate praestantem, qui non solum noxam reo condonasset, sed etiam pro maleficio gratias egisset, ac proinde nec dubitare posset, illum nunquam iniuriam vindicaturum: & tamen nec hic quidem plena apparet immunitas;

potest

potest enim rimere, ne ille aliquando, Iudæ
 proditoris instar, in reprobum sensum a-
 cius cum vocatione sancta omnem pieta-
 tem abiiciat, & antiquas iniurias vlcisci ve-
 lit. Quocirca intellectus regrediens ad in-
 stitutum suum, dicit, nunquam perfectam
 esse securitatem post offensam, nisi quando
 persona læsa se læsam ignorat. Et talem ini-
 micis suis postulat Christus concedi. Ac mi-
 hi quidem videtur non secus id peractum,
 quam si aliquis ex illis crucifixoribus ad æ-
 terni Patris pedes procidens supplex rogaf-
 set. Domine, humiliter rogo, vt mihi con-
 dones iniuriam, qua te, crucifigendo tuum
 sanctissimum filium, affeci. Respondisset ve-
 rò Christus. Non intelligo, quid dicas. Non
 sum à quoquam mortalium iniuria affe-
 ctus. Forte alius erit quem læseris: eum que-
 re, & vade in pace. Certum autem est, hunc
 perfectè securum discedere, tum quia nouit
 Deum non posse mentiri, secundum illud
 Nume. 14. *Non est Deus quasi homo, vt men-
 tiatur.* tum quia sententiam nõ mutat. Ma-
 lach. 3. *Ego Deus & non mutor.*

Animaduerto præterea, ait Intellectus,
 vtrumque Verbum esse ACTI VVM, & video
 verissimum esse, quod canit Ecclesia. *DEVS,
 cui proprium est misereri semper, & parcere.*

S

De. m. l. e.

Deinde colligo Christum, qua homo fuit, velut causam moralem per viam impetrationis, salutis nostrae fuisse, vt testatur Apostolus in epist. ad Hebraeos, dicens. *Exauditus est pro sua reuerentia.* Quamquam in Evangeliiis saepe demonstrauit se & causam fuisse efficientē, vt quando dixit ad Magdalenam. *Remittuntur tibi peccata tua.*

H. br. 5.
Luc. 7.

Longius deinde procedens dicit. Obseruo eadem verba Imperandi modo expressa, vt intelligeremus, quam ardenti aestuaret desiderio gratiam dictam obtinendi. Videtur enim mihi in hanc formam voluisse loqui. Pater tanto ardeo desiderio consequendi quod postulo, vt cogar vti modo Imperatiuo. Quem ardorem non expressisset, si vsus fuisset OPTATIVO, dicendo verbi causa *Gratissimū mihi faceres, si precibus meis annueres. Vellem te illis ignoscere. Opto, vt condones.*

DE NI QVE inquit, noto dicta verba esse tēporis praesentis, eundemq; ardorem non obscure prodere, ac si dixisset. Pater aeternae, ignosce illis iam iam, nec veniam differin eorum obitum, ideo enim non vtor verbo FUTURO. Hoc, inquam, momento condonat illis, quo mortem pro illis oppeto, vt tanto tranquilliori animo expirem. Et MEMORIA

MORIA dicit. Recordor B. Lucam, dum agit
de hac oratione, interponere tēpus imper-
fectum. IESVS *autem dicebat. Pater dimitte* Luc. 23.
illu, &c. Vnde colligo, eum sapius hanc o-
rationem iterasse; id enim imperfecti tem-
poris natura insinuat, & confirmat ardens
Christi desiderium de impetratione.

Post quas considerat. ones omnes subii-
cit VOLUNTAS: Ego experior in me inimico-
rum dilectionem tantum sumpsisse incre-
mentum, vt vehementer exoptem, si sine of-
fensione DEI, ac detrimento proximi fieri
posset, iniuriis affici & contumeliis, quo ali-
quo modo conformare me possem cū Duce
& Capitano meo dulci IESV, ad excipiendas
& condonandas iniurias parato.

TRANSIT hinc Intellectus ad vocem
sequentem, ILLIS, dicens. Primum con-
sidero esse pronomen demonstratiuum ter-
tiæ personæ, & colligo denotare *vniversa-*
litatem, quam non denotant voces primæ
& secundæ personæ: hæ enim paucas tantū
quasdam personas designant. Vnde hunc dil-
cursum facio. Varia genera personarū præ-
sto fuerunt in crucifixione IESV, & tamē Do-
minus in exoranda venia nullam facit exce-
ptionem, sed generatim dicit *Dimitte ILLIS*
quod est pronomen indefinitum neq; dicit.

Dimitte gentilibus, & non Iudæis, dimitte plebi, & non nobilibus.

Memoria ait. In mentem venit hoc loco oratio, quam S. Stephanus pro suis lapidatoribus habuit, teste B. Luca in Actis. *Domine ne statuas illis hec peccatum.* Et Intellectus vtramque inter se conferens, dicit, vocem ILLIS ambabus esse communem, indeque colligi S. Stephanum ex optimis Christi discipulis fuisse, qui lectionem magistri exactè repetiuerit. Tantum illud noto intercedere discrimen, quod Christus absolute petiuerit quoduis peccatum condonari, Stephanus verò ad speciale peccatum respexerit, dicens. **HOC PECCATVM.**

TANDEM Intellectus & reliqua verba sumit expendenda. *QVIA nesciunt, quid faciunt.* Et discurrit in hunc modum. Video hoc esse adiectum, vel vt causam motiuam, qua Patri cœlesti persuaderet esse ignoscendum. Secundo considero, merito hanc causam allatam: quia gratiam postulare, nullamque postulati rationem dare, est hominum imprudentium, vel eorum certè, quibus cura non est obrinendi, quod petunt, ac ideo ad primam repulsam retrocedunt. Verum, qui alterius voto serio cupit facere satis, non modo causam profert suam
peti-

petitionis, sed etiam conatur optimam, efficacissimamque proferre; ut erat hæc de IGNORANTIA, quam attulit amabilis IESVS. Etenim peccatū hoc venia dignius est, quominus est culpæ affine minus aut affine est, quominus est voluntarium. Accedit quod culpā minuunt plurimum animi perturbationes, ac in primis timor, in constantem virum cadens, id est, tantus qui etiam virum animo fortem in ruinam impellere possit. Cuiusmodi timor primo nasci potest ex imminente periculo vitæ; quo percussus Apostolus Petrus negavit Christum. Secundo, ex metu amittendæ gratiæ virorum Principum; quo metu turbatus est Pilatus, cum Iudæi clamarent. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnium enim, qui se regem faciunt, contradiscit Cæsari.* nam B. Ioannes subiungit. *Pilatus ergo cum audisset hunc sermonem, magis TIMUIT.* Tertio, ex periculo amittendæ famæ & bonæ existimationis apud homines: sicut accidit Iudæis ut persequerentur Christum, ut testatur Salomon Sapientiæ 2. c. his verbis. *Tanquam nugaces estimati sumus ab illo, & abstinet se à suis nostris, tanquam ab immunditibus, &c. Venite morte turpissima condemnemus eum.* Quarto ex periculo fortunarum, si illæ per exiguæ

S ; & ad

Ioan. 19.

sint, & ad vitam tolerandam necessariz.

Longius vero progrediens Intellectus, ait. Minuit quoque voluntarium ignorantia, quia fieri non potest, vt quis dicatur voluntariè facere, quod facere nescit. His duobus fundamentis positis, intellectus dicit. Inter eas personas, quæ interfuerunt crucifixioni Christi, alii ad tantum patrandum scelus inducti fuerunt metu, alii aliis de causis. Itaq; potuisset Dominus illos excusare per metum, sed non fecit, sed potius meminit ignorantiz: etiam si enim aliquando passiones multum extenuent rationem voluntarii, tamen sapius id facit ignorantia, & ideo Dominus hanc potius, quam illas pro eorum excusatione præterdit.

Sed dubitatio hic quædam oritur, subtilior credo, quam vtilior. An verè Iudæi cognouerint Christum esse filium Dei, nec ne? quam data opera prætermittit ob monita superius data.

VOLUNTAS deniq; superioribus discursibus amplius commota, dicit. Iterum firmiter apud animum meum statuo, me deinceps, auxiliante diuina gratia non solùm promptè iniuriam mihi illatam condonaturum, sed etiam autorem illius pro dilecto amico habiturum, & hoc nomine complexurum,
sicut

sicut amabilis IESVS Iudam complexus est, dicens AMICE, *ad quid venisti?* Conabor etiam cum beneficiis mihi deuincire, ac instar famuli inferuire, sicut Christus seruiuit Iudæ lauando ei pedes, & pretiosissimum suum corpus illi porrigendo, cum tamen sciret se ab eo prodendum, & vendendum.

FACIO finem huic Meditationi, adiuncta monitione, vt ne mireris voluntatem toties idem propositum ignoscendi inimicis renouasse. Id n. duabus ex causis factum est. Prior est, quia iste inimici amor, est quasi substantia & medulla totius meditationis. Posterior, quia quo crebrius bonum propositum in voluntate confirmatur, hoc magis illam penetrat, & firmiter ei inhæret, haud secus quam clauus ferreus sæpius malleo impactus, & plus asserem penetrat, & tenacius inhæret. Itaq; si in aliis meditationibus tibi idem accidat, poteris eundem modum tenere. Finemq; facias cum huiusmodi Colloquio.

DOMINE, recordor te per sanctum tuum seruum Iob nos commonefecisse, inter vitia, quæ nostræ naturæ ex peccato originali acciderunt, non minimum esse, quod ac ad breue quidem momentum in bono

aliquo proposito persistamus. *Homo, inquit, natus de muliere, breui & uens tempore, &c. Ac postea subiicit. Nunquam in eodem statu permanet. Atque ideo opem tuam imploro, & dico cum regio propheta. Confirma hoc Deus, quod operatus es in me.*

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

EXEMPLVM MEDITATIONIS
in actiones.

CAP. III.



RO huius Meditationis argumento sumpsi sacram IESU Christi Coronationem, de qua Euangelistę sic scribunt. *TUNC milites Pręsidis suscipientes Iesum in pratorium, duxerunt eum in atrium pratorij, & congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: & exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius: & Veniebant*

ad

ad eum, & genu flexo ante eum illudebant ei,
 & ceperunt salutare eum, & dicebant. *Aue*
rex Iudaorum: & expuentes in eum, accepe-
 rant arundinem, & percutiebant caput eius
 arundine, & conspuebant eum, & ponentes
 genu adorabant eum, & dabant ei alapas.

ANTEQVAM meditationem aggrediare,
 preparationibus consuetis, summam histo-
 riæ recole. *Exuerunt Christum, induerunt*
purpura, & flexo genu dicebant. Aue rex lu-
daorum. Pro petitione autem dic. Domine,
 obsecro, vt largiaris mihi gratiam, vt in i-
 mo corde perferentiscam verecundiam, cru-
 ciatusque in hoc actu perpeffos. Pro Loco
 imaginare atrium sat magnum, & regio pa-
 latio dignum, in eo vndique circumstantes
 milites, & Christum circa medium in vetu-
 sta sella assidentem. De hac autem actio-
 ne primo considerare conuenit eius natu-
 ram, tum auctores eius, & circumstantias.

Quod ad primum attinet, dicit Intelle-
 ctus. Actio hæc externa est, quia transit in
 subiectum ab agente distinctum, id est, in
 Christum Dominum. Et est ex eo actio-
 num genere, quæ opus post se relinquunt.
 nam peracta actione Christus mansit coro-
 natus. Progressus vero longius addit. Actio
 hæc non videtur mihi absimilis Tragœdiæ,
 S 5 in qua

in qua repræsentatur regis alicuius coronatio, in qua duo fieri solent. primo Rex ornatur insignibus regis, imposita in caput eius corona, cum porrigitur sceptrum, & purpura induitur. Secundo, à principibus regni genu flexo adoratur, & obedientia ei promittitur.

Adhæc inquit Intellectus originem huius facti, & dicit. Ego credo causam coronationi datam, ex responso Christi ad Pilatum dato, cum quæreret, num esset ipse Rex, respondit enim. *Rex sum ego, & in hoc natus sum. sed regnum meum non est de hoc mundo.* Vnde colligo, milites cum viderent Christum esse in viuendi ratione securum, fortuna pauperem, viribus imbecillè, opinione hominum contemptum, in responsis parum prudentem, ut quod diceret regnum suum non esse de hoc mundo (forte enim neque credebant vitam aliam post hanc superesse) arbitrati sunt esse hominem infamem & faruum, secundum S. Hieronymum, nam & Herodes eum tanquam stultum veste alba amictum à se dimiserat. Cum quo conuenit, quod S. Paulus in priorè epist. ad Corinthios scribit. Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus a. **STULTITIAM.** Actio autè, inquit

inquit Intellectus, est: Imponere coronam spineam capiti Christi, vt refert S. Matthæ⁹. *Et plectētes coronam de spinis posuerunt super caput eius* Hic Memoria ait, Recordor B. Ioannem ita loqui *Et milites plectentes coronam imposuerunt capiti eius*. Inter quæ duo loca, inquit Intellectus, hoc noto discrimē: quod primus dicat *posuerunt*, alter, *imposuerunt*, quasi dicas. *intus posuerunt* id est, capiti infixerunt Et ita factū credo, vt nempe coronam primo posuerint super caput: deinde crebris arundinis ictib. profundè infixerint. Ita enim scribit autor vetus, & Apostolorū seculo proximus Tertullianus. *Qua corona, inquit, tunc Domini tēpora & perfuderunt ludibrio, & lacerauerunt*. Quod fieri non potuisset, nisi improbi illi coronā cōpressissēt.

Hic VOLUNTAS mandat Applicationem sensuum institui, vt oculorum in conspiciēdo isto actu, qui dicant. Nos videmus Dominum non solum non retraxisse caput, sed etiā obtulisse coronationi. Intellectus vero breuiter ita ratiocinatur. Ego tali gestu per-motus, eius voluntatē scrutatus, liquido deprehendi etiam cum interno quodam sensu eam coronationē sustinuisse. Etsi enim non dubitem, acerbissimū fuisse dolorē, tum ob spinarum magnitudinē, tum ob naturalem

eat-

carnis mollitiem, tamen eam generosissimo animo tolerabat. Ex qua fortitudine inquit Voluntas, pro mea confusione, colligo, primo meam vel ignaviam, vel miseriam, quod ad minimum etiã dolorem, ab igne, vel ferro perpeßum, fœdos clamores, vel gemitus edam. Secundo, pro meo profectu propono, me deinceps constanti animo aculeata aliorum verba passurum. Si enim exigua hæc pati incipiam, spero Dominum mihi dicturum: *EVGE serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* hoc est, vt & verbera æquo animo ferre queas.

RESTAT, nunc vt materiam huius Coronæ expendamus, quam cerno, inquit Intellectus, esse spineam. Ac aduerto primo, spinas esse tenues, prælongas, acutas & duras, atque ideo habiles ad penetrandum cranii commissuras in intimum vsque cerebrum. Secundo, esse multas, iuxta sanctorum Patrum, piorum sententias. nec enim formam habuit; vt fere depingitur, circuli, vel ferti, sed totum obtegebat caput. Vnde S. BERNHARDVS. *Sed & ipsa, inquit, eius corona cruciatus est ille, & mille puncturis speciosum eius caput diuulnerat.* Hic Meditator commiseratione motus Colloquium instituit cum

*Ber. serm.
de passio-
ne.*

cum anima sua, dicens. Si tibi videtur S. Bernardus illa per exaggerationem locutus, perpende verba B. Vincentii sic loquentis in sermone de passione. *Et capiti eius imposuerunt coronam, qua eum in capite se septuaginta duobus locis crudeliter vulneravit: nam erat ad modum pilei.* Et S. BRIGIDA c. 51. dicit. *Iude vero Christus meus, & caput totum spinarum puncturis lacerabatur.* Ad quod institutum Memoria adducit figuram arietis, quem DEVS prouidit Abraham pro sacrificio filii Isaac. *Leuauit Abraham,* ait textus, *Gen. 22. oculos suos, & uidit quod post tergum arietem inter vepres harentem cornibus.* Stabat videlicet, implicitus densis veprium spinis. Vbi sic ratiocinatur Intellectus. Arius animal est satis grande & robustum, quod vi spinarum non facile retineri potuisset, nisi accessisset densitas. Itaque concludo plurimos spinarum aculeos capiti Christi fuisse infixos, verumque esse, quod dicit B. Augustinus, Christum ex abundantia solitum explere figuras, quae de ipso extiterunt.

Transit dehinc Intellectus ad subiectum actionis, dicens. Id video esse sacrum venerabile IESU caput, in quo quia sedem suam habent omnes sensus, & initium capiunt nerui, in quibus consistit sensus Tactus,

mini-

minime dubitandum longe atrociorē fuisse dolorem, quam si quoduis aliud corporis membrum spinis fuisset confossum. Vnde commota voluntas, dicit. Statuo apud animum meū, Deo propitio, deinceps, ad imitandum Magistrum, quemuis capitis dolorem patienter sufferre

AT QVE hic Meditator quatuor habet Colloquia, in quorum primo exemplo sponsæ Canticorum cap 3 dicit. *Egredimini filia sion, & Videte regem Salomonem in diademate*, quo coronauit eum mater sua inuitando vna cum filiabus Sion animas pias ad videndum verum regem Salomonem ornatum corona spinea, qua coronauit eum nouerca sua Synagoga. Secundum Colloquiū est ad Christum hoc modo. Domine, istæ spinæ tuæ sunt peccata mea, in hac animæ meæ terra à te quondam maledicta, exorta, de quibus doleo me nō tantum dolere & pudeferi, quantum spinosarū culparum numerus, grauitasque exposcit. Tertium Colloquium instituit cum anima sua, dicens. Quocirca, anima mea, cum conuenienter erratis tuis dolere nō queas, abstine saltem deinceps ab illis, ne nouas spinas benignissimo IESV veteribus adiungas. Et reuersus ad IESVM dicit. Videtur mihi

mihī iam posse à te dici illud ex Canticis.
Caput meum plenum est rore, & cicutini mei Cant. 5.
guttis nocturnis. Imo Domine mi, verissimè
 dicere potes, nō iam rore, sed sanguine ple-
 num esse, quia omnia spinarum foramina
 copiosissimorum fontium instar cruorem
 effundunt Et hic Voluntas subdit. Consti-
 tuo Domine deinceps & ego in sudore vul-
 tus mei animæ meæ proximorumque saluti
 incumbere, quousque per superiorum vo-
 luntatem licebit.

PROXIME sequitur consideratio de causa
 efficiente, vel auctoribus actionum. atque
 Intellectus dicit Primum earum auctorem
 inuenio Deum, quoniam ipse per Isaiam,
 sic loquitur. *Propter scelus populi mei percussi* Isa. 53.
eum. In quæ verba sic ratiocinatur Intel-
 lectus. Et si verba hæc proprie ad flagella-
 tionem Christi respicere videantur, pos-
 sunt tamen accominari quoque coro-
 nationi. Cum enim verum sit, quod est ve-
 rissimum, Deum eum percussisse, & constet
 eius caput arundine non semel percussum à
 milite, cur negem eum tanquam primam
 causam quoque percussisse, maxime cum
 indefinita sit oratio, *Percussi eum.* Præter-
 ea, ait Intellectus, deprehendo causam e-
 iusdem, sed specialem fuisse ipsum IESUM,
 non

non solum consentiendo, sed etiam se offerendo. Ad quod propositum, ait Memoria, mihi duo loci occurrunt, alter noui, alter veteris testamēti. Noui est S. Ioannis. *Ego sum pastor bonus, & animam meam pono pro ouib. meis.* Ac vt crederemus, eum non solum de permissione occumbendi locutum, subiungit, quod sponte etiam se velit ad mortem offerre. *Nemo, inquit, tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.* Et subdit. *Et potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Ex veteri testamento

Memoria duo profert testimonia. Vnum è Thren. 2. Threnis. *DEDIT percutiendi maxillam.* Alterum ex Isaia. *Corpus meum, ait Messias ipse, DEDI percutientibus, & genas meas sellentibus.* Vnde colligo, inquit Intellectus, ipsum voluntariè mortuum, maximè autem ex verbis, *DEDIT, & DEDI,* quæ sunt actiua, quæ forte prophetae vsurparunt ad demonstrandam voluntatis actionem, qua se obtulit tormentis & morti.

Longius deinde procedens Intellectus ait. Obseruo Pilatum fuisse causam quidem coronationis particularem, sed tamè principalem. Etiam si enim non mandarit eam expresse, sicut ex Euangelistis deduci potest. S. Ioannes enim solus flagellationem illi

illi tribuit, dicens. *Tunc ergo apprehendit Pi- Ioan. 19.*
atus IESVM, & flagellavit. Et de coronatio-
 ne S. Matthæus ait. *Tunc milites praesidis sus- Matt. 27*
cipientes IESVM in pratorum, &c. & plecten-
tes coronam de spinis, posuerunt super caput e-
ius. Tamen dici potest mandasse eam taci-
 tē: quia secundum quosdam, milites ideo
 ad coronationem processerunt, quia vide-
 rant eum tam asperam flagellationem non
 alia de causa imperasse, quam ut satisfacere
 ludæis, ac idcirco credebant se noua ista
 crudelitate sua etiam gratiam inuituros a-
 pud ipsum. Quod si forte non fuerit causa
 efficax & positua, fuit tamen permissiua ut
 affirmat. S. LEO. *Pilatus IESVM, inquit, multis Leo serm.*
dehonestari ludibrijs, & immodicis vexari per- 10. de
missit insurijs. Quanquam fatendum est o-
 mnino, & verè auctorem fuisse, quia non so-
 lum poruit, sed etiam debuit eam impedire
 pro ratione officii & Magistratus publici
 quem gerebat, cui incumbit omnibus mo-
 dis cauere, ne contra iusticiā quispiā punia-
 tur. Accedit, quod auctores supplicii illius
 erant ex eius familia de qua peculiaritè tene-
 batur Deo rationem reddere, si aliqua in re
 delinqueret. *Obedite ait ad Hebræos B. Pau- Heb. 13.*
lus, prepositis & servis, &c. ipsi enim peruisigilant
quæ RATIONEM reddunt pro animabus &
servis.

F

1. Reg. 3.

stris. Hic memoria dicit. huc spectare seu-
ram commonitionem factam in primo Re-
gum Heli sacerdoti, quod negligenter edu-
casset liberos. *Ecce ego facio verbum in Isra-
hel, quod quicumq; audierit, tinnient amba
aures eius. In die illa suscitabo aduersum Heli
omnia, qua locutus sum super domum eius:
incipiam & complebo. Pradixi enim ei quod
iudicaturus essem domum eius in aeternum
propter iniquitatem, eo quod nouerat indi-
gne agere filios suos, & non corripuerit eos.*

3. Reg. 2.

Quare permota voluntas, siue Principis,
siue Prælati vel superioris, siue Patrisfa-
miliæ, dicit. Propono me operam datu-
rum, ne subditi mei facile delinquant, &
cum deliquerint, correcturum. Video e-
nim licet Heli suos liberos reprehende-
rit, tamen quia non fecit modo debito,
non effugisse diuinam castigationem. Sic
enim textus habet. *Quare facitis res huius-
cemodi, quas ego audio, res pessimas ab omni
populo. Nolite filii mei, non est enim bona sa-
ma, quem ego audio.*

Ulterius progressus Intellectus. Video,
inquit, causam particularem, sed executri-
cem huius actionis fuisse Pilati milites, si-
ue exemplum eius, ut dixi, imitati fuerint,
siue sua perculantia & insolentia incitati id
fecer-

fecerint, sicut fuerunt & Iudæi, siue consilio suo, vel favore rem promouerint. Cum enim hoc spectaculum exhibitum fuerit in atrio Pilati, Principes sacerdotum, & Magistratus, qui ante plebem ad ostium palatii operiebantur, videntes quo studia turbæ militaris spectarent, verbis & nutibus eam animabāt. Unde Haymo annotauit Iudæos magnam voluptatem cepisse ex istis illusionibus genuflexionibus ante Christum, licet ægrè tulerint salutationem illam. *Auerex Iudæorum.*

Denique cogito causam fuisse dæmonem, nam cum B. Ioannes dicat, dæmonem suggestisse Iudæis ut venderet Christum, videtur mihi omnibus aliis persuasisse, ut operam suam conferrent ad affligendum & occidendum Christum. Quod ad res extremas causas efficientes attinet intellectus indagans numerum dicit. Equidem credo in quaque cohorte multos fuisse, immò omnes. nam S. Matthæus *Matt. 26* sic loquitur. *Et congregauerunt ad eum vniuersam cohortem.* de Iudæis idem affirmat S. Marcus, agens de Conci *Marc. 14* lio generali pridiana nocte in ædibus Cayphæ habito. *Qui omnes, inquit, condemnauerunt eum esse reum mortis.*

Hi vero idem conati sunt persuadere toti plebi *Principes autē sacerdotum*, ait B. Matthæus, *Et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barrabam, Iesum vero perderent.* Quod & fecerunt. Respondens enim, inquit idem, *UNIVERSVS populus dixit. Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Postremo, puto probabiliter credi posse omnes quæque demones eo confluxisse; magna enim indignatione in illud efferuescebant, quod experti essent tam multos suæ tyrannidi subtractos.

PERGIT Intellectus indagare finem & scopum Agentibus iam dictis propositum. Ac imprimis Patris æterni scopum fuisse aduentu, quem ipse apud Isaiam expressit, dum ait. *Propter scelus populi mei percussit eum.* FINIS vero Christi IESU inter alios multos fuit, ut nobis exemplum relinqueret, perferendi pœnas cum ludibrio coniunctas *Exemplum dei vobis*, ait apud B. Ioannem, *ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Et hic Memoria dicit. Idem confirmo dicto B. Petri, dum ait *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.*

Tertio, apud Pilatum eundem finem fuisse credo, qui fuit in flagellatione, ut nempe

MEDITANDI PARS II. 2ft3

nempe immitia Iudæorum pectora ad
 commiserationem tandem commoueret,
 & ideo eum in conspectum eorum produ-
 xit, dicens: **E C C E H O M O**. Quarto
 militum scopus non alius fuit, quam vt ex
 hac Tragœdia suam caperent voluptatem,
 & recreationem, vt existimat S. Bernar-
 dus. Quinto Iudæorum pariter ac dæmo-
 num non fuit dissimilis, nempe vt rabiem
 suam explerent in vindicandis damnis, quæ
 à Christo, ante acceperant. Quare neque
 satis iis fuerunt vsitata supplicia, sed noua
 & peregrina excogitarunt, quæ cum acer-
 bitate dolorum extremū dedecus, & igno-
 miniam coniuncta haberent: vt sic opinio-
 nem sanctitatis populo omni: quam an-
 te de illo habebant, eriperent. **E C C E enim**
totus mundus, querebantur Iudæorum pri-
 mores, & *adit post ipsum*. Et ideo B. Mattheus
 de Pilato dicit. *Sciebat enim, quod per inus-
 diam tradidissent eum.*

Ex horum finium quolibet Voluntas
 fructum capere gestiens, dicit. Ex primo
 disco propositum facere abstinendi à pec-
 catis, quia illa sunt quæ pungunt caput
 mei **I E S V**, plus quam spinæ, maximè au-
 tem peccatum superbiæ. Secundo, liben-
 ti animo amplectendi contumelias & cru-

ces cum speciali intentione Christum imitandi. Tertio, non præuaricandi amplius regulas, vel ordinationes maiorum meorum, ob metum vel gratiam hominum, video enim hunc agendi modum malè successisse Pilato Quarto, non approbandi recreationem aliquam, quæ possit vel in minimum dulcis Iesu contemptum redundare Quinto, forti animo perferendi persecutiones; etiam si multi in eas mihi inferendas conspirent, exemplo Davidis, vel potius

Psal. 26. Christi in psalmo quodam dicentis. *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: Et si exurgat aduersum me prælum, in hoc ego sperabo.*

Huc usque, ut liquet, Intellectus meditatatus est circa Actionē huius mysterii primariam, nempe Coronationem Sed quia eius comites sunt aliæ quædam, conuenit & illas expendere, siue antecesserint, siue proximè sint consecutæ. Sunt autem in utroque ordine triplices. De primis Intellectus sic loquitur. Animaduerte primam fuisse, quod detractæ sint illi vestes. *Mat. 27.* Matthæus enim dicit. *Et exuentes eum.* Vbi considero id non fecisse milites, eius honorandi, vel iuuandi causa, sed quod per debilitatem corporis id ipse fecisset tardius, vel certe,

certe, quia suæ insolentiæ & petulantia ex-
 ercendæ inhiabant. Itaque addidit memo-
 ria, non potuisse illos aspirare ad præmium,
 quod Christus promisit sibi ministratibus
Qui mihi ministrabit, honorificabit eum pater Ioan. 12.
meus. Vnde colligo, ait voluntas, mihi de-
 inceps amore Iesu omne seruitium, licet
 vilissimum, quod hominibus defero, illius
 honoris spe subeundum, quandoquidem
 sibi factum reputat, quicquid amore sui
 fecerimus aliis. *Quod vni ex minimis meis fe-* Matt. 23.
cistis, inquit, mihi fecistis.

ADHÆC considero, ait Intellectus, eos vt
 cito libidinē suam explerent, Iesum celer-
 rimē suis vestibus spoliasse, nimiaq; vi pel-
 lem ex recenti flagellatione adhuc vesti-
 bus adhærentem, atque etiam carnis fru-
 sta aliqua extraxisse. Vnde noui sangui-
 nis fontes prorupere, & apparuit Chri-
 stus potius animal excoriatum, quam ho-
 mo viuus. Considero præterea nuditatem
 modestissimi Iasv, de qua loquens S. BER-
 NARDVS, dicit. cum ob summam mētis pu-
 ritatem, plus hœruisse, vel vnum hume-
 rum ostendere nudatum, quam alii corpus
 totum.

Et quia homo verecūdus, semper agitare
 animo solet, quanto pudore fuerit suffu-

fus, per os Dauid ipse sic loquitur. *Tota die Verecundia mea contra me est, & confusio faciei mea cooperuit me.* Vbi Memoria recolit, quod in libro secundo regum narratur, Ammonitas legatis regis Dauidis
 2, Reg. 10 rescidisse vestes vsque ad cingulum. *Erant enim,* inquit scriptura, *confusi turpiter valde.* Quod factum intellectus confert cum Christi facto, dicens. Turpiter confusi erant illi boni homines, quod dimidia tantum corporis parte vestibus suis spoliati essent, quanto turpius ergo confusus fuerit Christus spoliatus omnibus?

ALTERA actio ex præcedentibus coronationem fuit, quod amictus fuerit purpura, peruetusta scilicet & attrita, ac sub mentum in nodum astricta in humeros, more Imperatoribus vsitato, dependens. quam vidi, & manibus attigi in Ecclesia Lateranensi Romæ, adhuc sanguineis maculis tinctam. Vnde, inquit voluntas, sum mopere confundor, quod meminerim me sæpe magno pudore suffusum, quando non erant mihi tam comptæ vestes, quam optabam, sic vt etiam conspectum eorum defugerim, à quibus me videndum verebar.

TERTIA denique fuit contextio coronæ. Vbi cogito, inquit intellectus, nonnul-
 los

los ad varia loca se contulisse, vt reperirent
præacutas spinas, alios vero occupatos in
modo recte eas plectendi, sic vt longiores,
acutioresque partem interiorem specta-
rent, & facilius caput penetrarent.

QVOD ad actiones coronationem se-
cutas attinet, prima fuit, quod porrexe-
runt ei in manum dexteram arundinem: &
paulo post rursus ademerint, vt ea verbe-
rarent caput, altiusque coronam infige-
rent, vt contēplatur S. Anselmus in dialogo
de passione Domini. *Hanc coronam, inquit,
cum lancea percutientes capiti eius imprime-
re conabantur, atque sanguis per eius faciem
disfluebat.* Et B. Hieronymus in Mattheum.
*An non, ait, contumelia Trinitatis est, quan-
do in virga & calamo percusserunt Romani
caput iudicis Iſrahel? dicentes. Prophetiz a no-
bis Christo, quis est, qui te percussit? alludens
ad illud Micheæ. In virga percussient maxil- Mich. 5:
lam iudicis Iſrahel.* Vnde sequitur eum
non solum arundine, sed etiam hasta, nec
in capite tantum, sed etiam in maxilla per-
cussum.

ALTERA actio fuit illusoria adoratio,
dicendo: *Ave rex Iudaorum.* quæ præfigura- 2. Reg. 12
ta est apud Ieremiam. *Factus sum illis in pa- Iere. 24.
rabolam & derisum.*

T § TER-

TERTIA fuit, quod consputus, & alapis cæsus fuerit. Circa quam Intellectus dicit. Ingens interuallū & discrimen est inter salutationem & colaphizationem. Et tamen hos gentiles imitantur, inquit S. Bernardus, qui dum flexis genibus orant, mente distracti sunt, quia Deum genibus venerantur, mente autem conspuunt. Huc Memoria producit illud Iob. *Saturati sunt pennis meis.* Voluntas verò imperat applicationem sensus videndi, qui ait. Cerno diuinum vultum ex plagis tumidū, vti prædixit Iob. *Exprobrantes percusserunt maxillam meam, & facies mea intumuit.* Sic vt non agnosceretur amplius. Vnde dixit Isaias. *Non est species ei, neq; decor: & vidimus eum, & non erat aspectus. & quasi absconditus vultus eius: nec reputauimus eum.* Hunc tumorem, vel deformationem proculdubio non parum auxit, quod in ista rabie etiam barbæ pilos illi euulserint, vt prædictum est ab Isaiâ. *Dedi genas meas Sellentibus.*

SUPEREST tandem circumstantias eiusdem actionis examinare. Ex quibus, inquit Intellectus; prima est nota, nempe Loci, qui fuit atrium prætorii, hoc est, domus iustitiæ exercendæ destinata, & depellendis iniuriis, non autem inferendis, vt
hic

hic factum est, Cerrè, si quæ Christo hic facta sunt, accidissent in patulo campo, vel sylua, aut retruso antro, vel certe in cubiculo aliquo, tolerabiliora essent; at facta sunt intra palatium, in domo publica & iustitiæ, & idcirco prorsus intolerabilia.

ALTERA Circumstantia, ait Intellectus, fuit Temporis, nempe frigidi, ita ut Petrus Apostolus præcedenti nocte opus habuerit se calefacere adignè: quod Christo non parum molestum fuit, cum staret nudus, pallio illo dimidia parte contactus. Quam molestiam auxit tēporis diurnitas in ea adoratione consumpti Cohors enim militum, decima pars legionis est, quare aderant milites sexcenti sexaginta sex hoc ritu Christo illudentes. Finis demum huic Meditationi imponitur sequenti Colloquio ad Christum Dominum.

O Sapientia infinita. non potuit maior tibi inferri iniuria, quam quod tibi velut fatuo illuserint. Nam si negassent sapientiam tibi fuisse infinitam, non tanta fuisset iniuria, quia veræ sapientiæ nomen saltem tibi reliquissent, at postquam te cum fatuo contulerunt, omnem sapientiæ laudem tibi detraxerunt, Rogo te igitur
 ut quo-

300 INSTRVCT. DE MODO
vt quoties iniuria aliqua in hoc genere affi-
ciar, vt dicar homo exiguo ingenio, vel iu-
dicio præditus, memoria recolam, quanta
iniuria sis affectus, toleremque eam mode-
ste & patienter

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

FORMA MEDITANDI
tantum in Puncta.

C A P. IV.



Ro huius Meditationis argu-
mento lumpsit Extremam Cœ-
nam, quam Christus cum suis
Apostolis instituit, tum quia
sublimium mysteriorum ple-
na est, & optimorum documentorum, tum
quia commodè in tres partes distribui po-
test, secundum tria puncta, in quæ or-
dinariè Meditatio solet
diuidi.

PRI.

PRIMUM PUNCTUM.

*Dominus lauit Discipulis suis
pedes.*

OFFERT se mihi, inquit Intellectus, hic Actionum externarum aliqua, quæ post se relinquunt opus. Pro cuius intelligentia pleniore, primum expendam eius naturam cuiusmodi sit Secundo causam eius efficientem Tertio subiectum, vel personas, circa quas exercetur. Quarto, modum. Quinto, tempus quo facta est. Sexto, locum. Septimo, occasiones. Octavo, finem & scopum eius. Sed omnia breuiter: ideinque in reliquis punctis duobus obseruabo, ne æquo longius Meditatio protrahatur.

QUOD ad naturam Actionis pertinet, dicit intellectus. Video esse eius naturale, vel materiale, esse LAVARE PEDES, morale verò, vel spirituale, esse actum maximæ humilitatis, vt ex sequentibus liquabit.

QUOD ad secundum spectat. Causam efficientem actionis video esse Christum. Cuius conditio prima, ad hoc factum spectans, augensq; humilitatem, est, quam explicat S. Ioan.

Ioan.

Ioannes c. 14. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus* Significans eum habere potestatem & auctoritatem in omnes creaturas. Secunda est hæc. *Et quia à Deo exiit,* nempe sicut naturalis Patris filius. Vnde Ecclesia eum vocat, *Deum Verum de Deo Verò.* Quod autem vt homo etiam exierit à

Luc. 1.

DEO, angelus dicit ad Ioseph. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Tertia est, quæ lequitur. *Et ad Deum vadit.* id est, ad Deum redit, vt sedeat ad dexteram Patris, cum eo regnaturus in sæcula sæculorum. Quarta est, quam ipse post

Ioan. 13.

actionem indicauit, dicens. *Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicistis, sum etenim.* Quæ duo significant auctoritatem superioris, alteram supra discipulos, alteram supra subditos quosuis. De quibus conditionibus omnibus Intellectus hoc format argumentum. Scio, quo persona nobilior & sublimior est, hoc autem vilem & abiectum eiusdem, reddi humiliorem. At constat Christi personam fuisse nobilissimam, nempe Dei filium omnium rerum Dominum, atque huius nobilitatis probè conscium: Lotionem verò pedum, quam exercuit, esse actionem vilissimam, quæ non solet nisi incipientis & abiectissimis committi-

committi feruis. Cōcludo ergò hanc actionem Christi fuisse humilimam.

Qvōd ad tertium caput attinet, nempe personas, quibus loti sunt pedes. Videtur mihi, dicit intellectus, inde accessionē magnam fieri ad humilitatem Christi, primo, quia si officium hoc præstitisset angelis, nō apparuisset tanta humilitas. Secundo, si viris illustribus; sed cum vilibus & pauperibus præstiterit, fuit humilitas humilima. Tertio, quod præstiterit subditis & discipulis: minor enim fuisset humilitas, si non subditis lauisset. Quatto, quod demiserit se ad pedes Iudæ, à quo iam sciebat se prodendum. Et ideo credo Evangelistam eius rei meminisse, cum ait. *Cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas.* Immò in eam sententiam facile me adduci sino, vt credam cum quibusdam sanctis eum lotionem inchoasse à Iuda, quo illo honore delato emolli-
ret eius cor; summo scilicet flagrans desiderio, eum à concepto iam scelere deterrendi, & saluandi. Atque hic Memoria subministrat exemplum practici & magna caritate Medici, qui, licet plures agros visendos habeat, tamē initium facit ab eo, qui grauius decumbit. Vnde voluntas dicit.

Statio.

Statuo in animo meo, quoties à me officium vel seruitium aliquod præstandum erit pluribus, me antelaturum semper eum, à quo nonnullam vitio meo sensi auersionem Atque hoc satis sit de primaria Actione lauandi. Ad cuius complementum, inquit Intellectus, considerandæ a me sunt nonnullæ aliæ actiones particulares & accessorix. Equidem existimo, licet S. Ioannes tantum commemoret Christum aquam misisse in peluim, illum & peluim & aquam à Domino domus per se petisse & in Cœnaculum attulisse: sicut enim citra operam alterius voluit infundere aquam, ita & reliqua, auctore Euthymio, voluit solus perficere *Credibile est, inquit, & peluim à Domino domus, & aquam quæ fuisse atque portasse.* Id vero fecit, inquit Theophylactus, ad dandum exemplum nobis, *ut nepe sedulo ac grauius ministrantes, nulli alio qui nobis subministrant, & amur.* Atque hic potest fieri applicatio sensus visus, imaginando te videre Dominum totum intentum illi ablutioni pedum, omni studio illos lauando, & vndiq; expurgando, ac demum exosculando.

QVOD AD Modum, quæ erat quarta consideratio, dicit Intellectus. Video tum

quæ

quæ ad animum spectant, de quibus agendum postea, tum quæ ad externa corporis, augere in hoc actu humilitatem. Primo enim dicit Euangelium eum *surrexisse* à mēsa, nec enim voluit sedēdo magnorum Dominorum more actum illum perficere. Secundò, vt expeditior sit ad opus, superiorem vestem deponit. *Et posuit Vestimēta sua.* Nec mihi videtur probabile, quod dicit BENEDICTUS, eum se omnibus vestimentis exuisse, licet pluralis numerus vsurpetur. sed credo tamen denudasse brachia decenter, vt perfectè personam serui representaret, secundum illud Apostoli. *Formam serui accipiens.* Phil. 2. Tertio, *cum accepisset linteum*, inquit Euangelista *præcinxit se.* Proprium enim est ministrorum, & opificū vt præcincti officium suum præstent, atque vt ipsi sese accingant. Quarto, eodem linteo, ad confirmandam dictam humilitatem, eorum pedes exterfit. Cum ergò tot pedes abluerit & exterferit; necesse est eum valde madidū & sordidum ab opere surrexisse.

Intellectus deinde prosequēs discursum circa interna animi, ait. Cogito humilitatem illam altas radices egisse in imo corde, vt apparet ex dicto illo Petri. *Tu mihi lauas?* tempore scilicet præsentis: nec enim Domi-

nus lotionem tunc adhuc inchoarat Con-
 iecit nimirum discipulus ex promptitudine
 illa externa Domini, iam trahentis pedes in
 peluim, & alia agentis, eum prorsus ita sta-
 tuisse. Deinde colligitur ex industria, qua
 conatus est persuadere Petro, vt sineret se
 lauari Cum enim videret laborare eū mera
 mystetii ignorantia, ei dixit. *Quod ego facis,
 in nescis modo.* Quasi dixisset. Ego te excusa-
 tum habeo, quia nescis quid arcani in hoc
 in eo facto lateat Verum quia aduertit Do-
 minus hanc monitionem nō illi suffecisse,
 addidit. *scies autem postea* erat enim illi ar-
 canam illud postea patefacturus. Ac quoni-
 am Dominus firmiter constituerat hunc a-
 ctum perficere, adiunxit ad frangēdum ani-
 mum Petri terribilem illam comminatio-
 nem. *Si non laueris te, non habebis partem me-
 cum.* Quo dicto quasi iugulatus se prouum
 abiecit in terram, dicens *Non tantum pedes,
 sed & manum & caput.* Vnde voluntas con-
 cludit. Propono apud animū meū, à bono
 opere semel inchoato siue reducendus sit a-
 liquis à peruersa vita, ad sanctam, siue à san-
 cta ad sanctiorem, nunquam destitutum, e-
 riam si multa incurrerent, quæ à capto me
 deterrerent, sed cum amabili Iesu eo usque
 profecuturum, donec ad optatū finem per-
 ducatur.

RESTAT

MEDITANDI PARS II. 307

RESTAT examinanda circūstantia TEM-
 PORIS. Et primum, dicit Intellectus, si tem-
 pus vniuersale spectatur, hanc actionem
 Dominus exercuit in fine suæ vitæ: si parti-
 culare, circa medium cœnæ, nam S. Ioannes
 ait. *Surgit à cœna.* interrumpere cœnam, a- *Ioan. 13.*
 ctio seruilis est; proprium enim seruorum
 est, sæpe intra cœnam surgere. Secūdo lauit
 pedes Iudæ, cum iam animo versaret pro-
 dendi cogitationes. Tertio lauit, nō multo
 post litē ipsorū, quis videretur eorū maior,
 vt etiam exemplo dirimeret illā, sciens plus
 mouere exempla, quā verba. Deinde cogito
 multo tempore durasse hanc lotionē, quia
 omnibus duodecim lauit, & diligenter.

QVOD causam motiuam & finalem at-
 tinet. Existimo, inquit Intellectus, ad hanc
 actionem permotum Christum, studio per-
 fectionis eorū & nostri, cuius vnicū & solidū
 fundamentū est humilitas, vt docet Augu-
 stinus in sermone 10 de verbis Domini his
 verbis. *Cogitas magnam fabricam construere
 celsitudinu? de fundamēto prius cogita humi-
 litatis.* Pro fine autē habuit, vt doceret nos
 imitari suum exemplū, vt testatur Euange-
 lista *Exemplum dedit vobis,* inquit Christus,
vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.
 Atque hic transit ad breue colloquium
 V 2 cum

cum anima sua. Nota diligenter anima mea, non eum dicere, se id fecisse, vt sciremus tantum, sed vt opere quoq; imitaremur. & meritò. Nam vt verum dicam, de hac virtute, vt de quauis alia rectissimè dicitur; Hoc plus sciri de ea, quo plus exercetur. Vnde & post allata verba mox subiecit Dominus. *Si haec scitis*. vt doceret necessariam cognitionem, sed quia sola non sufficit, addidit. *Beati eritis, si feceritis ea*. Ecce perspicuè demonstratā sublimem huius Actionis humilitatem. Et hoc satis sit, pro cōsideratione primi puncti.

Verum quia in responsis S. Petri multa documenta spiritalia latent, antequam ad secundum veniamus, breuiter illa excutiamus. Ea igitur ob oculos ponens intellectus, ait. Credo Apostolum in illo actu memorem fuisse notitiæ à Deo reuelatæ, cum diceret. *Tu es filius Dei viui*. & ideo cum videret Christum seruili illa specie aduolui ad pedes, attonitum respuisse lotionem, dicendo. *Tu mihi lauas pedes?* Quæ verba merito admiratus S. Augustinus. *Quid est, Mirum? cogitanda sunt potius, quam dicenda*. inueniens multa documenta illis contineri aliqua subiiciam.

PRIMUM est, hominem spiritualem non tantum

Tract. 96.
n. 107.

tantum interna humilitate, qua censet se
 omni honore indignum, esse debere con-
 spicuum, sed etiam externa, demonstrando
 eam palam, vt hic fecit S. PETRVS, cum di-
 ceret *Non lauabis*. Secundum sit perseue-
 randum esse in bono opere semel inchoa-
 to, vt indicat verbū illud *in aeternum*. Ter-
 tium, vt quando animaduertimus opus ali-
 quod inchoatum sine vitio non posse per-
 fici, illud deseramus cum S. Petro, qui cum
 notasset se reum culpæ alicuius fore, si non
 acquiesceret Christi desiderio, mutato
 consilio mox dixit *Non tantum pedes, sed &*
manus & caput. Quartum est, non plus æ-
 quo fidendum in bono opere bene inchoa-
 to, nisi in eo perseueretur, vt liquet in eo-
 dem Petro. cui licet aliquādo dixisset Chri-
 stus. *Beatus es Simon Bariona*. tamen quia *Matt. 16.*
 in hoc facto obedire noluit, æternam com-
 minatus est separationem à se. Quintum
 est, quod qui aliquando inspirationi diui-
 næ resistit, etiam si alias eidem sit obsecu-
 tus, reformidare debeat iacturam pristini
 feruoris. Sextum, quod etiā amicus, quam-
 primum innotuerit illum viam virtutis de-
 serere, & commonefactum non resipiscere,
 sit fugiendus & cauendus: quod & Christus
 minatus est Petro. Septimum, quod potius

omnia incommoda, à quibus tamen peccatum absit, sint perferenda, quam consuetudo piorum sanctorumque hominum negligenda: sicut passus est cum summa sua verecundia B. Petrus sibi lauari pedes, ne à Christo diuelleretur. Octauum, quod, ut primum subditus cognouerit actus humilitatis, in quibus se exercet repugnare suorum superiorum voluntati, ab illis abstineat. Nonum est. concionatores & Prælatos debere prius manibus docere virtutem, exercendo illam, quam lingua, sicut fecit Christus, qui primo lauit pedes, postea dixit. *Exemplum dedi vobis.* Postrema sit. Subditum non debere voluntati superiorum facile resistere, ob periculum errandi, sicut accidit B. Petro. Atque hic ecce vides perspicuè praxin abundantia venationis spiritualis, cuius supra facta est mentio. Finisque huic primo puncto imponitur vno Colloquio ad virtutem S. Humilitatis instituto sub hac fere formula. O raram, & ideo admiratione dignam virtutem. Tanta est tua dignitas, & tam præstans natura, ut non possis apprehèdi, multo autem minus comprehendi à nobis miseris & vilibus in hac lacrymarum valle, nisi ipse filius Dei ex celo delapsus ad eam non verbis modo, sed

MEDITANDI PARS II. 311

sed factis etiam docendam ad nos venisset. Et quoniam nihilominus vix submittere nos, uti arrogans & erecta adhuc est natura nostra, mi Domine possumus, rogo te, ut mihi tantum suppedites auxilii, ut diffracto semel abominabilis superbiæ capite, meæ mentis sinum possim laxare, & tuæ humilitatis thesauro adimplere.

PVNCTVM II.

*Instituit Sanctissimum S. Eucharistiæ
sacramentum.*

RVRVS mihi hic se offert Actio externa, quæ opus aliquod post se relinquat. nam post panis & vini consecrationem restat corpus & sanguis Christi Domini, & tamdiu perseverat, quamdiu species panis & vini incorrupta persistunt. Ut ergo intelligam dictæ actionis naturam, & dignitatem operis ea producti, dabo operam, duce fidei lumine, sedulo expendendis consuetis capitibus. Ac primum quidem naturæ & essentiæ: secundo causis efficientibus: tertio instrumentali: quarto motiuis: quinto fini & scopo: sexto tempori: septimo & ultimo, modo quo fecit, breuiter attingendo aliquid de quoq; capite.

V 4 QVOD

QVOD ad primum attinet, dicit Intellectus Firmiter credo hanc esse Actionem supernaturalem & miraculosam, qua panis viniq; substantia, mutatur in corporis, sanguinisq; purissimi Christi substantiam. Et ideo proprio nomine ab Ecclesia vocatur **TRANSUBSTANTIATIO**. vnde Christus ipse dicit *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Quibus in verbis animaduertès Intellectus Dominum cibum hunc anime spiritalem, conferre cum materiali corporis, dicit. Volo inuestigare, in quibus conditionibus conueniant, & in quibus discrepent Primum autem inuenio conuenire in eo, quod vt materialis cibus habet sustentare vitam naturalem in corpore & augere: sic hic spiritualis vim habeat sustentandi augendiq; vitam spiritualem in anima, quæ vita consistit in diuina gratia, & vocatur vita in Christo. Qui modus loquendi sumptus est ex illo Christi dicto in eodem capite. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me* Hinc verò intellectus migrans ad ea, quæ non conueniunt, dicit. Video cibum materialem non semper augere corpus, vt quando homo peruenit ad statum, vt dicitur, *Consistentiæ*. verum hic cibus spiritualis semper adauget gratiam in anima, nullus enim in
 hac

hac vita eius incremento terminus est definitus. Secundo, ille cōuertitur in substantiam eius qui illum sumit: nam cum calor naturalis sumentis potentior sit, transmutat cibum in sui subiecti naturam. at in hoc euenit contrarium, cum enim sit manducante potentior, conuertit illum potius in se, vt bene tradit B. AVGVSTINVS. *Cibus,* ^{Aug. 7.} *confes.* ^{c. 10.} *inquiens, sum grandium, cresce & manduca-*
bi me, nec tu me in te mutabis, sicut cibum
carnis tue, sed tu mutaberis in me. Secundo,
 cibus materialis solet voluptatem afferre corpori, sic & hic spiritualis animæ. Vbi Memoria suggerit bina scripturæ loca. Ex Gen. 49. *Præbebit delicias regibus.* Ex psal. 67. *Parasti in dulcedine tua pauperi*
 DEVS. Hoc tantum differunt, quod ille vnum tantum saporem, & aliquando ingratum præbeat, hic verò omnes sapores, eosq; gratissimos semper reddat, sicut canit Ecclesia. *Panem de cælo præstitisti eis, omne delictamentum in se habentem.* Sicut & de eius figura Manna scriptum est. Quanquam verum est, vt hi sapores percipiantur, opus esse vt cibus iste cælestis fidei caritatisq; dentibus masticaretur; sicut necesse est, & materialem masticare vt gratus aliquis sapor percipiatur. TERTIO, sicut ille confortat corpus;

ne faeile labatur, sic hic animam, ne labatur in peccatum, teste S. Cypriano, dum ait. *Manifestum est eos IUVARI, qui corpus eius attingunt, Si verè Eucharistia communionem accipiunt.* Similiter S. Bernardus ait. *Minuit sensum in minimis, & grauioribus tollit omnino consensum.* Expendens autem Intellectus, quomodo hoc fiat, dicit. Equidem arbitror primo eius beneficio remoueri peruersas cogitationes ad peccandum incitantes. Secundo, concupiscentiæ impetum refrenari, temperando humores. Tertio tolli occasiones externas. Quarto phantasma moueri recordatione suppliciorum impiis decretorum. Quinto excitari cogitationes, & desideria æternæ gloriæ. **QUARTO**, quemadmodum cibus materialis corpori subministrat vires ad sustinendos labores, sic hic suppeditat vires animæ ad exercenda virtutum opera. Atq; indagans hic modum, quo id fiat, dicit. Credo id aliquando ab eo fieri excitando immediatè voluntatem, vt velit, aliquando etiam commouendo appetitum sensitium, siue id fiat agitando humores & spiritus, siue per redundantiam voluntatis. Probe obseruo, inquit Intellectus, vt finis huic discursui imponatur, multis prærogatiuis hunc cibum spiritualem superare materialem.

teriale. Vna est, quod hic prodesse non
 queat nisi corpori viuo, ille verò possit & a-
 nima mortuæ (mortuæ dico morte spirita-
 li peccati, nam natura sua est immortalis)
 In aliquibus enim casibus potest conferre
 primam gratiam. Altera est, quod cibus
 materialis exerat vim suam tantum in cor-
 pus, ac spiritualis in animam & corpus, tum
 quia eius adhuc in vita existentis humores,
 modo iam dicto, attemperat, tum quia post
 mortem illud resuscitat ad vitam immor-
 talem, sicut ipse Christus prædixit. *Qui* ^{Ioan. 6.}
manducat meam carnem, & bibit meum san-
guinem, habet vitam aeternam. & ego RE-
SVSCITABO eum in nouissimo die. vnde S.
 IGNATIUS vocat *pharmacum immortalita-*
tis & Concilium Nicænum, *Symbolum*
Resurrectionis. Nec mirum. Si enim Chri-
 stus solo tactu manuum suarum resuscita-
 uit filiam reguli, cur caro nostra toties san-
 ctissimo corpore Christi contacta vim re-
 surgendi non accipiat? Quam in rem GREG.
 Nyssenus affert similitudinem fermenti,
 quod totam massam in se conuertit. Et nos
 videmus ferrum à Magnete tactum attra-
 here etiam aliud ferrum.

SEQUITUR vt consideremus Causam
 efficiētē actionis, de qua Intellectus dicit.

Eam

Eam video esse ipsum Christū, quia omnipotens est, quia vnā substantiam in aliam transmutare non potest, nisi cuius infinita est potētia; sicut quod seipsum propriis manibus potuerit dare sumendum Apostolis, sicut Ecclesia canit. *Turba fratrum duodena se dat suis manibus.* Et multa alia miranda quæ in institutione huius mysterii continentur vt merito dixerit P salmista. *Memoria fecit mirabilia suorum.* Secundo est idem

Psal. 110.

Christus, quia sapiens est. Sapientia enim in eo demonstrata est, quod sub panis & vini accidentibus, viuam carnem suam & sanguinē occuluerit, vt horrore, si propria specie apparuisset, non esset communicātib. In cuius confirmationem Memoria adducit, quod discipuli, cum verba illa Christi,

Ioan. 6.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, nimis carnaliter intellexissent, dixerunt. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?*

CAVSAM instrumentalem, qua Christus vsus est in hac actione perficienda inquit Intellectus, video esse verba ab eo prolata. *Hoc est corpus meum.* Quæ verè vim & efficaciam habent transubstantiandi panem in Christi corpus, & vinum in sanguinē Christi: tantæq; virtutis sunt secundum Theologos

logos, ut si Christus ante non existeret, de nouo eum producerent. In cuius rei confirmationem Memoria adducit miraculum à Christo factum, quando filium viduæ verbo solo restituit vitæ, dicens. *Adolescenti tibi* Luc. 7.

DI CO *surge.*

Quod ad MOTIVAS causas attinet, et si credo, inquit Intellectus, fuisse multas, contentus tamen ero consideratione vnius, nempe Bonitatis & amoris. Quemadmodum enim illa permouit æternum Verbum ut per vnionem personalem se sanctissimæ Christi humanitati communicaret, quippe cum naturalis eius proprietatis sit se ad alios diffundere: sic eundem promouit, ut migraturus ex hoc mundo se nobis communicaret sacramentaliter sub panis & vini integumento. *Delicia enim mea,* inquit *alicubi, esse cum filiis hominum.* Cum enim *Prou. 8.* præsentia naturali nobiscum manere non deberet, inuenit modum verè manendi nobiscum, sed præsentia supernaturali, vel sacramentali. Longius verò progrediens Intellectus dicit. Scio, proprium amoris effectum esse, constringere amantes, ut quam arctissima inter se consuetudine vtantur: cum verò amor humanus nõ longius constringere queat, quam secundū præsentiam
 exter-

externam, diuinus in Christo amor per sanctam communionē inuenit, vt etiā amantes secum constringantur interius in anima, & quasi vnum quiddam secum efficiantur. Sicut enim verè dicere possumus cibum quem sumimus, cum in carnem nostram & sanguinem transeat, fieri vnum nobiscum, sic nos per hoc sanctissimum sacramentum vnum reddimur cum Christo. Quare S. Cyrillus Hierosolymitanus asserit dignè communicantem fieri cōcorporeum & consanguineū Christi, conuenienter dicto Christi.

Ioan. 6.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.

1. Cor. 11.

Quod ad Finem in institutione huius Sacramenti Christo propositum spectat, Primum video, ait Intellectus, esse illum, quem ipse his verbis expressit. *Hac quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis.* hoc est, meæ passionis & mortis. In cuius confirmationem, dicit Memoria, propono quod B. Paulus in priore ad Corinthios scripsit. *Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicē bibetis, Mortem Domini annuntiabitis.* Secundus finis est, vt nos pelliceret in amorē sui Videtur enim mihi se quodammodo accommodasse huius mundi amatoribus, qui nonnunquam vt homines ad amorē sui trahant,

hant, illis cibum præbent, vel potum amatoriū. Cum enim sit ipse amor, (*Deus, inquit B Ioannes, caritas est*) in ipsam hostiā se includit, vt sic in amorem sui nos traheret. *1. Iean. 4.*

MODVM demum perpendens intellectus, quo actio hæc peracta est, dicit, Lego exterius talem fuisse. Accepit Dominus panem in manus suas, fregit, benedixit, consecrauit, & dedit Apostolis. Internum verò Christi affectum ad hanc actionē vehemētissimum fuisse colligo ex illa congeminatione verborum *DESIDERIO desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* Deinde, quod vt induceret nos in amorē huius nobilissimi cibi, mirificè prædicat eius vim & efficaciam, quod est proprium amātium. Nam nunc promittit non solum præsentia externā, sed etiam intimam suā nobiscum vnionem inde futurā *Qui manducat, inquit Ioan. 6. meā carnē, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo* Nunc addicit & vitam æternam. *Si quis manducauerit ex hoc pane, & uet in aternū.* Nunc deniq; minatur mortē æternam, si illum non sumamus *Nisi manducaueritis, inquit, carnē filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Finem facit, facto cum anima sua colloquio, hoc modo *Lauda anima mea*
Salua-

Saluatorem, ducem & pastorem in hymnis
& canticis. Quantum potes, tantum aude,
quia maior omni laude, quam laudare suf-
ficis. Pastor tuus est, & tuum pabulum cum
quo, tanquam viatico, conducit te ad æter-
num tabernaculum. Crebro itaq; te hoc ci-
bo pasce, & toto pectore desidera, ac etiam
pro viribus procura, vt multi pascantur te-
cum, nec enim etiã si à mille millibus sa-
matur vnquam consumitur, sed potius in
regno suo magis magisque crescit & dila-
tatur.

PVNCTVM III.

*Mandauit Christus discipulis, vt se
mutuo diligerent.*

CONSIDERO, inquit Intellectus, impri-
mis Christum hanc doctrinam in per-
sona Apostolorum dedisse omnibus eorum
posteris. deinde non dedisse per modum
consilii, sed præcepti. *Hoc est PRÆCEPTVM*
meum, ait, Et diligatis inuicem. quo clarissi-
mè declarat amabilem in suos omnes pro-
uidentiam, dum vnicuiq; mandat, vt omnes
amet. Vt autem mutuum hunc amorè no-
bis persuadeat; vocat hoc præceptum suum
NOVVM, dicendo. *Mandatum nouum do-
bis, quo*

bi, quo nouitate sua nos ad eius obserua-
 tionem pelliceret. Omnia enim noua, vt
 vulgo dicitur, placēt. Meritò autem depre-
 hendo vocari nouum, quia obseruatum ve-
 rē hominem renouat à peccati vetustate,
 secundum illud Apostoli. *Si qua ergò in Chri- 2. Cor. 5.*
sto noua creatura, vetera transierunt, ecce fa-
cta sunt omnia noua. Secundo, quia et si in
 lege veteri mandatum fuerit, vt proximum
 diligeremus, tamen mādatum est tantum,
 vt eum diligeremus sicut nos ipsos: at in
 noua Euangelica additur, vt diligamus et-
 iam supra nos ipsos, profundendo, scilicet
 vitam, pro eius salute. Vnde S. Ioannes di-
 cit, *Maiorem caritatem nemo habet, quam et Ioan. 15.*
animam suam ponat quis pro amicis suis.
 Tertio dicitur nouum ob nouitatem Euan-
 gelii, quæ appellatur Lex noua, eo quod
 contineat spiritum nouum filiorum DEI,
 non vt in veteri lege seruitutis, secundum
 illud B. Pauli. *Non accepistis spiritum serui. Rom. 8.*
tutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis
filiorum. Quarto eundem Domini affectum
 colligo ex eo, quod vocet præceptū suum.
Hoc est præceptum meū, et diligatis inuicem.
 Etenim, cum verus amicus nō solum amo-
 re complecti soleat amicum ipsum, sed et-
 iam res eius, ad ipsum pertinentes, ita Chri-
 stus

ftus fupponens quod amarent fe, poftulabat vt etiam hoc præceptum velut fuum amarent. Ac intellectus porrò indagans eaufam cur vocet fuum, dicit fe credere ita vocare, eo quod ipfe non fit aliud quàm amor, ac pròinde fuum præceptum recte dicatur, quia fimile fibi. ficur multorum filiorum pater, de vno, qui fit illi fimilis in vultu, vel moribus dicit: Hic eft filius meus. In cuius confirmationem Memoria dicit. Huic propofito feruire videtur S. Ioannis refponfum difcipulis datum, cum percontarentur, cur

Mieron. in cap. 6. ad alterutrum. toties repeteret dictum illud. *Filioli diligite mini eft, &c.* refpondit enim, *Præceptum De-*

Animaduerto præterea, inquit Intellectus, non fuiſſe fatiſ Saluatori dediſſe hoc præceptum, fed etiam motiua adiunxiſſe, quibus ad illud obſeruandum incitaremur. Primum fuit exemplū ſuum, *Sicut*, inquit, *ego dilexi vos* quaſi diceret. Non mando vobis rem impoſſibilem, quippe cum ego id præſtiterim, amando vos, Secundum, eſt, quod ſic cõciliaturi ſimus eius amicitiam. *Amici mei eritis*, inquit, *ſi feceritis, qua ego præcipio vobis.*

Deinde noto, pergit intellectus, Dominum definiſſe & modū, quo debeamus nos inui-

MEDITANDI PARS II. 323

in vicem diligere, dicens. *Sicut ego dilexi vos.*
 Qui modus, licet multa cōprehendat capi-
 ta, ego duo tātum attingam. Vnus est, quod
 dilexerit omnes. Quare neq; nos aliquē ex-
 cludere debemus a nostra amicitia, etiā ini-
 micum, quando quidē Christus nec exclusit
 Iudam suum proditorē. Secundus est, quod
 sic dilexit vt vitam posuerit pro amicis, iux-
 ta doctrinam à se traditam, cum diceret.
Maiolem caritatem nemo habet, quam vt a Ioan. 15.
nimam suam ponat quis pro amico suo.

Deniq; vt amorem illum mutuū omni-
 no nobis inculcaret, voluit illum esse sym-
 bolum, quod essent sui discipuli. *In hoc co* Ioan. 13.
gnoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dile-
ctionem habueritis ad inuicem. Quibus ver-
 bis hanc puto subiectam esse sententiam.
 Non ex ieiuniis; aut vigiliis, aut cætera vitæ
 austeritate, vt discipuli S. Ioannis Baptistæ,
 dignoscemini esse mei discipuli, nec ex
 superstitiosis & externis ceremoniis, sicut
 Pharisei: nec demum ex miraculis, quæ pa-
 trabitur, sed duntaxat ex illo cōmuni omniū
 amore, quem volo esse signū, & proprium
 Christianismi characterem. Hunc certe in-
 intimis animi visceribus insculptū demon-
 strauerunt primi Christiani, quorū, vt scri-
 bit B. LUCAS in Actis, erat cor *vnum & anima*

X 2

anima una. Immò scribit Tertullianus eos quasi in fronte signatos tantum factis ipsis in proximum declarasse amorem, vt ethnici stupore defixi dicerent. Videte quo se porrigat Christianorum caritas, qui mutuo se appellant fratres, & tanquam fratres se tractant, ac parati suat pro se mutuo sanguinem profundere.

Matt. 18.

Ex omnibus hactenus dictis, & ex illo, quod semel dixit Dominus: *Vbiunq; fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* colligo, inquit Intellectus, omnes qui in cœtu multorum viuunt, debere omni studio & industria semper cōseruare, ac augere mutuum hunc amorem: sic enim indubitanter confidere poterunt Christum in medio eorum semper versaturum, omniq; fauore & gratia eos persecuturum. Eadem quoq; sollicitudine quilibet cauere debet, ne vel minimam occasionem præbeat, vt amor ille mutuus imminuatur, vel lædatur: alioquin enim facile ex eorum medio recedere posset Christus, vel pristinus feruor restingui. Ad quod confirmandum memoria adducit pulchram illam B. Augustini in sermone s. de dedicatione Ecclesiæ similitudinem. *Ligna, inquit, & lapides, si non sibi certo ordine cohærent,*

tent, si non se pacifice innecterent, si non se in-
 vicem coharendo sibi quodammodo amarent,
 nemo huc intraret. Deniq; quando vides in a-
 liqua fabrica lapides & ligna sibi cohærere,
 securus intras, ruinam non times. Haud se-
 cus timere debent qui vitam agentes in
 communi aliorum cœtu hanc vnionem la-
 befactant, & causam præbent vt amoris fra-
 terni ardor euanescat Quibus adiungit In-
 tellectus. Meritò Dominum tam horribili-
 ter minatum esse iis qui vel paruulis offen-
 diculo fuissent, cum diceret. *Qui scandali-* *Matt. 18.*
zauerit vnum ex istis pusillis, qui in me cre-
dunt, expedit vt mola asinaria suspendatur in
collum eius, & demergatur in profundū ma-
rii. Quanto amplius timere debet is, qui
 multos scandalizat litibus suis & conten-
 tionibus, atque vt ita loquar, Christum ex
 congregatione sancta quasi explodit. Atq;
 hic meditator interno spiritu accensus, se-
 cum Colloquium sequens instituit. Ne fal-
 laris anima mea, vt credas te amare proxi-
 mum, & reuera non ames, audi quid dicat
 B. Gregorius homilia 20. in Euangelia. *Si-*
gnum dilectionis, exhibitio est operis. Opera
 autem illa describit accurate Apostolus in
 epistola priore ad Corinthios. *Caritas pa-* *1. Cor. 13.*
tiens est, benigna est, non amulatur, &c. Quæ
 X 3 vt me-

vt melius obserues breuem subiticiam expositionem ex S. THOMA, supponendo Caritatis nomine non intelligi aliud, quam amorem mutuum, quo fideles se mutuo propter Deum complectuntur. Cuius proprium officium sit, ita amare hominem, vt ad cōseruandam cum proximo amicitiam, quicquid necessarium est, agat vel patiatur.

Incipiens autem Apostolus à patiendo dicit Caritatem esse PATIENTEM, multa enim toleranda sunt ex caritate, vt scribit in 2. ad Corinthios cap. II. Tam grandis autem est hæc patientia caritatis, vt nullis aduersitatibus possit expugnari, secundum illud ex Canticeis. *Aqua multa non potuerunt extinguere caritatem: nec flumina obruent illam.* Nec satis est esse patientem, ad retinendam amicitiam, sed etiam multa oportet agere, & aliquādo de propriis fortunis proximo aliquid communicare, & ideo adiungit BENIGNA est. Quæ vox composita est, à bono, & igne. Sicut enim ignis vim habet niuem vel glaciem constrictam dissoluēdi, vt per terram diffuat, sic Benignitas facit vt bona nostra dispergamus in proximum, secundum illud Spiritus sancti monitum. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Et S. Ioannes disertè negat contrarium

Cant. 8.

Prov. 5.

trarium facientem præditum caritate. *Qui 1. Ioan. 9.*
habuerit, inquit, substantiam huius mundi,
& viderit fratrem suum necesse habere, &
clausit viscera sua ab eo, quomodo caritas
Dei manet in eo? Et quia supponit Aposto-
 lus, caritatem nõ permittere, vt opere mali
 aliquid fiat fratri, declarat, nec permittere,
 vt fiat affectu; quod fieret, si doleret de pro-
 speris eius successib. hoc enim est inuidiæ,
 Vnde mox addit Apostolus. **NON ÆMVLATVR,**
 nam cum caritas faciat, vt amicum
 diligamus, sicut nos ipsos, facit etiam vt
 gaudeamus de bono eius, æquè ac de pro-
 prio. Vnde consequitur, eam multo minus
 toleraturam, vt factis aliquè lædat. Et ideo
 subiicitur. **NON AGIT PERPERAM,** hoc est,
 nõ finit damno aliquo affici amicum: cum
 certus sit non posse inferri malum ei, quem
 amat tanquam seipsum.

Hæ iam dictæ virtutes, vt vides, homi-
 nem Christianum in communi muniunt &
 corroborant; ac sequentes eum armant cõ-
 tra tres speciales animi affectiones, quæ fa-
 cile possint detrimentum afferre proxi-
 mo. Prima est existimationis & honoris
 proprii, & ideo dicit Caritas **NON INFLA-
 TVR.** neque enim patitur vt vel interior
 in animo quis contra alium insolescat,
 X + cum

cum constet id non posse fieri, sine alterius contemptu. Vt ergo nemo se contemnit, ita salua caritate qua proximum amat sicut se, non potest alium contemnere. Ac eadem de causa non potest ambire, vt sit illius superior, & ideo adiungit. **NON EST AMBITIOSA**, immò potius optat se subiici omnibus, illisq; seruire, sicut **S. PAVLVVS** consuluit Galatis. *Per caritatem spiritus seruite inuicem.* Altera affectio praua, quam refrænat Caritas, est amor opum. Vnde si quis amico aliquid donarit, vel mutuo dederit, vel alio modo impertiuerit, non quærit, nec repetit eam eo modo qui amicum possit turbare, vel scandalizare, & ideo sequitur. **NON QUÆRIT quæ sua sunt.** Nec vlla ratione sibi usurpat, vel procurat, quod videt pertinere ad amicum, sicut de se loquitur Paulus alibi. *Non quarens, quod mihi vtile est, sed quod multis, & salui fiant.* Vnde & reprehendit eos in ep. ad Philipp. qui caritatis huius sunt expertes. *Omnes quarunt, quæ sua sunt, non quæ IESV Christi.* Tertia affectio, quam caritas moderatur, est **IRA.** & ideo subiungit. **NON IRRITATVR.** hoc est, non sinit se prouocari ad indignationem cõtra quemquam propter iniuriam aliquam illatam, sed potius omnia cõdonat secundum consilium

Gal. 5.

1. Cor. 10.

Phil. 2.

filium Pauli Colossensibus datum. *Donan- Col. 3.*
tes vobismetipsis. si quis aduersus alium habet
querelam.

Armat adhæc Caritas Intellectum, ne
 malum cogitet de proximo, & ideò dicit A-
 postolus. *NON COGITAT malum.* Cuius di-
 cti duplex est sententia. Vna, quod non per-
 mittat in mentem venire cogitationem de
 alio lædendo, quales cogitationes detesta-
 tur meritò propheta Michæas, dum ait. *Va Mich. 2.*
qui cogitatis malum, & operamini malum in
subilibus vestris. Altera, quod nec admittat
 sinistras suspiciones & iudicia de aliis. cu-
 iusmodi & Christus reprehendit apud B.
 Matthæum. *Vt quid cogitatis malum in cor- Matt. 9.*
dibus vestris?

VOLUNTAS similiter rectè dirigitur à
 caritate, maximè, vtne exulter in aduersis
 proximi casibus, & ideo subdit Apostolus.
NON GAUDET super iniquitate. Quod au-
 tem contrarium accidere possit, manife-
 stum est. Nam sicut qui ex animi perturba-
 tione delinquunt, scrupulum aliquem & re-
 morsum conscientie sentiunt, sic qui scien-
 tes prudentes peccant, solent exultare, se-
 cundum sapientem. *Qui latantur, cum malè Prou. 2.*
fecerint, & exultant in rebus pessimis. Dico
 ergo caritatem nunquam permittere, vt

X s quis

quis de damno fratri illato gaudeat sed potius cum B. Paulo doleat. *Ne iterum cum Seno*, inquit in secunda epistola ad Corinthios, *humiliet me Dominus apud vos, & lugeam multos ex vobis, ex his, qui ante peccauerunt.* Adhæc, qui caritate præditus est, non solum non gaudet de alterius malo, sed ex animo congratulatur eius bono & fælicitati. Vnde subiungitur. *CONGAUDET autem Veritati.* Quæ veritas est triplex Prima consistit in doctrina, vt quando docentur vera. Secunda consistit in vita, quando interior animæ vita, responderet in bonitate vitæ externæ corporis. Tertia deniq; est in iustitia, quando cuiq; præstatur, quod ei debetur, vt bonis præmium, & malis pœna. Sic faciebat S. Ioannes, dum ita scribit. *Gauius sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus Veritati tuæ. sicut in caritate ambulas.* Deinde caritas illud quoque bonum efficit, vt patienter tolerantur proximi imperfectiones, siue naturales siue morales, iniuriæ quoq; & persecutiones, secundum illud B. Pauli monitum. *Debemus firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere.* Similiter inducit hominem, vt facile fidem præstet fratri aliquid (modo veritati non repugnet) asseveranti, & ideo dicit. **OMNIA CREDIT.**

2. Cor. 2.

Ep. 2.

Rom. 15.

MEDITANDI PARS II. 331

CREDIT. Inducit item ad Sperandum omnia
bonum animæ salutare, & ideo adiun-
git. OMNIA SPERAT. Demum ne spes
excidat, quando prorogatur promissæ
executio, efficit ut æquo animo expectetur
tempus effectui destinatum, & idcirco con-
cludit, OMNIA SVSTINET. Sicut & Habacuck
exhortatur cap. 2. *Si moram fecerit, expecta-
eum.* Finis autem hic imponatur cum Col-
loquio ad Spiritum sanctum,

O diuine spiritus ad te amoris, omnis &
caritatis fontem refugio, & rogo humili-
ter, ut meum, omniumque proximorum
meorum pectus digneris adimplere: sicut
enim in festo Pentecostes cum impleres
corda fidelium, effecisti, ut non secus se
mutuo diligeret, ac si corpus haberent vna
anima informatum, sic spero, & nobis eue-
nire posse.

PATER NOSTER

AVE MARIA

FORMVLA MEDITANDI
in solum Scriptura sacra
textum.

C A P. V.

PRO huius meditationis argumento
sumpsi historiam cæci nati, quia conti-
net personas, verba, & actiones varias. S.
Ioannes cap 9. Euangelii sic eam inchoat,
ET prateriens IESVS, Vidit cæcum à nati-
uitate, &c. Facta igitur oratione præpara-
toria consueta historia in hunc modum
summatim ob oculos ponitur Cæcus, post-
quam luto illuminatus fuit à Christo, sæ-
pius à Pharisæis examinatus est, vt calum-
nari possent miraculum, ac deniq; turpiter
ab illis eiectus à Domino inuentus est, iam
fide vera, & notitia filii Dei illustratus, vnde
& genibus flexis eum adorauit. Pro petiti-
one deinde dic. Domine, præbe mihi, quæso,
gratiam audacter doctrinam tuam defen-
dendi, & imprimis aduersus eos, qui vitam
solitariam & spiritualem irrident. PRO loco
deniq; in hoc initio repræsento mihi pla-
team, in qua versabatur cæcus, deinde viam
piscinæ, tum ædes Pharisæorum.

Aggrediens ergo Intellectus considera-
tionem

tionem vocolæ, ET, Particula, inquit est copulatiua, & principium capitis. vnde apparet hanc cæci illuminationem proximè secutam post ea quæ antegresso capite sunt narrata, de Christi è templo digressu, cum Iudæi eum vellent lapidare. Vbi animaduerto incredibilem Christi benignitatem, tum quod æquo animo tantam contumeliam sustinuerit, tum quod non destiterit eo ipso tēporis puncto nouo beneficio gentem illam afficere. Imò duplicem hic beneficentiã noto, cum B. Chrysostomo, nempe Dominum hoc miraculū patrasse non modo in commodum pauperuli istius cæci, verum etiam vt prædura lapidatorum suorum corda hoc caritatis officio emolliret, ac vt loquitur Apostolus, *carbones ignis super eorum capita congereret.* *Rom. 12.* Et hic VOLUNTAS dicit. Statuo in animo meo, me, adiuuante diuina gratia, in posterum benefacturum aduersariis meis, etiamsi recenti me iniuria affecissent, vt paream dicto Christi. *Bene Matt. 5. facite his, qui oderunt vos PRÆTERIENS.* Credo, ait Intellectus, Christum data opera vitam iniisse, in qua erat iste cæcus, vt illum illuminaret. Hic memoria dicit, conuenire huic rei parabolam de eo qui Hierosolyma *Luc. 10.* discedens incidit in latrones. Circa quam discut-

discurrens intellectus, confert Christum cum tribus qui sauciatū à latronibus viderunt, & dicit. Video de sacerdote scriptum. *Et viso eo pertransit.* De Leuita similiter dicitur. *Cum esses secus locum, & videret eum pertransit.* De Samaritano verò *Samaritanus autem quidam iter faciens, sensit secum eum, & videns eum misericordia motus est.* Vnde concludo, inquit, Christum instar Samaritani accessisse cæcum, aspexisse, & à cæcitate curauisse.

VIDIT. Non existimo simplicem quendam fuisse intuitū, & perfunctoriè factum, vti fuerat istius sacerdotis, & leuitæ, sed firmum & immotum vti fuerat Samaritani. Tamque serio intentum se Christus demonstravit, vt occasionem discipulis dederit sciscitandi. RABBI *quis peccauit?* iam enim forte obseruarant nihil fortuito, sed consideratè omnia ab eo fieri. Memores ergo eorum quæ audierant ad paralyticum dicta, cum sanasset eum iuxta piscinam. *Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare,* cogitabāt, si ille ob peccata sua, in paralytin incidit, forte & hunc miserum hominem propter peccata sua, parentumue natum cæcum. Hic voluntas confusionis sui actum exercet, propterea, quod conspe-

Iuan. 5.

cto in

sto in viis paupere, sæpe vultum auerterit,
 contra doctrinam B. Ambrosii ita in Lucam Lib. 8.
 scribentis. *Verum ne cacum illum tanquam
 fastidiosi pauperum cito reliquisse videamur,
 & transisse ad diuitem. expectemus eum, quia
 expectant & Dominus.*

INTERROGAVERUNT. Obseruo Euange-
 listam vti numero plurali, & quæstionem
 illam attribuere omnibus discipulis: quod
 fecit vel quia omnes eam proposuerunt,
 vel quia omnibus idem animus fuit, eo
 quod vni proponenti ceteri applauserint.
 Mihi certe viderur ita res contigisse. om-
 nibus enim hominibus innatum est cu-
 riosè in aliorum facta inquirere, calami-
 ratesque & ærumnas attribuere eorum
 noxæ, vel possumus dicere Euangelistam
 per Synecdochen plurali numero pro sin-
 gulari vsu. Vnde colligo plurimum refer-
 re, versetur aliquis in societate bonorum,
 necne? fit enim, vt quod ab vno fit, omni-
 bus tribuatur. Ad quod propositum
 Memoria quærens simile exemplum, ait.
 Occurrit mihi murmuratio Iudæ de
 unguento pretioso, à Magdalena in ca-
 put Christi effuso, vt narrat S. Ioannes. Ioan. 12.
*Dis-
 cit ergo Quis ex discipulis eius IVDAS
 Iscariot.*

Matt. 26. Iscariotes, &c. Et nihilominus S. Matthæus attribuit eam omnibus discipulis, dicens. *Videntes autem discipuli indignati sunt.* Vnde disco, quã sedulò cauere debeant, qui in cœnobis, vel alia congregatione pia viuūt, ne prauum exemplum præbeant, cum videamus lapsum vnus in totam redundare communitatem. Quomocunq; autem res se habuerit, hoc est, siue vnus, siue plures quæstionem illam proposuerint, nõ tamen abfuit curiositas, & idcirco dicit voluntas. Cauebo hoc vitiũ eo studiosius, quo communius est. Potest enim fieri, quod Euangelista ex industria scripserit quæstionem positam à discipulis, vt innueret hanc imperfectionem posse quoq; cadere in homines spirituales, si parum cauti sint.

Joan. 3.

QVIS PECCAVIT. Intellectus indagans causam huius quæstionis ab Apostolis motæ ait Forte mota est, ob responsum alias à Domino datum Paralytico. *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* ac idè existimarint, nullum cuiquam malum, nisi ex peccato antegresso, euenire, & idè videri hunc quoque cecum deliquisse. Quod autem cogitarunt, hoc verbis etiam expresserunt: difficile enim est conceptus animo inclusos diu retinere

tere, iuxta illud Iob. *Conceptum sermonem Iob. 4.*
tenere quis potest? Hic voluntas dicit. Pro-
 positum facio custodiendi & refrenandi
 mentem meam, ne facile sinistram de pro-
 ximo opinionem, vel aliquid aliud confi-
 deratè concipiam: sic enim non facile in in-
 considerata verba erumpam.

HIC AVT PARENTES EIVS. Hæc quæ-
 stio; inquit Intellectus, videtur mihi vel cu-
 riosa, utpote qua alienæ conscientia arcana
 inquirantur, vel æquo audacior, quasi ipso-
 rum iudicio doctrina illa locum non habe-
 ret, in cæco dicto, quando quidem, peccare
 non potuerit, antequam natus esset. Et ex
 altera parte non ignorabant scriptum Eze-
 chielis 18 *Filius non portabit iniquitatem pa-*
tris, ac proinde nec ob peccata patrum po-
 terat cæcitas illa contigisse.

NEQ. HIC *Peccavit, neq. parentes eius.*
 Hic, ait Intellectus, imprimis considero, in-
 victam Domini mansuetudinem, qui cum
 iure eos posset de curiositate, vel arrogan-
 tia reprehendere, non tamen fecit, imo be-
 nigno responso instruxit, non omnes cala-
 mitates hominibus contingere ex ante-
 gressu peccato proprio, vel parentum, sed
 aliis quoque de causis. Atque hic Memoria
 suggerit Dominum & alias, nunc suavius,
 Y NUNC

Ioan. 21.

nunc acrius curiosis discipulorum postulat
tis respondisse. Suavius quidem B. Petro,
cum de B. Ioannis vita expiscaretur. *Hic au-*

Matt. 26.

tem quid? Respondit enim *Quid ad te tu me*
sequere Acrius verò cum eidem dixit. *Vade*

post me Satana, scandalum es mihi Unde
voluntas colligit pro superioribus non esse
semper arguendos asperius subditos, sed
dissimulatione nonnunquam utendum: de-
inde pro gravitate lapsuum reprehensiones
faciendas Longiusq; progrediens intelle-
ctus addit. Deprehendo in hoc cæco ma-
gnam patientiam, & humilitatem, quia ad
iniuriam sibi à discipulis illatam conticuit.

Adhæc animaduerto singularem Dei erga
suos providentiam; suscepit enim cæci de-
fensionem, dicendo. *Neg, hic peccavit. Ecce*

Luc. 10.

Similem huic actum producit Memoria,
de defensione Domini pro Magdalena, cõ-
tra querelam Matthæ dicentis. *Domine non*
est tibi cura, quod soror mea reliquit me si-
lam ministrare?

SED UT MANIFESTENTVR Geminum, ait
Intellectus, mihi videntur hæc verba habe-
re sensum. Vnus est, ut dicatur eum ideo
cæcum natum, quo Christus eum postea
illuminaret. Alter, esto sit ex causa na-
turali vel morali ita natus, Christum oc-
casionem

MEDITANDI PARS II. 339

ratione illa usum ad faciendum miraculum. Ego cum B. Augustino libenter assentior primo sensui. Neq; ideo mihi in mentem venit cogitare, cæcum, si id sciuisset, conquesturum fuisse de iniustitia, natus enim erat in peccato originis, ratione cuius solus poterat cæcitate illa multari. Secundo, quia etsi creator ordinarie omnibus hominibus videndi impertiat facultatem, tamen facultas illa donum Dei est. Conditio verò doni est, ut sicut confertur gratis, ita sine iniuria vlla negari queat. Tertio, etiamsi debita fuisset, velut ordinaria, & ad integritatem hominis necessaria, tamen sine vlla iniuria à Domino illi negari potuit, quia id ad manifestandam eius diuinitatem profuit, cuius beneficio mundus erat saluandus quæ salus cum fuerit bonum commune, merito à quouis particulari homine priuato alicui damno erat anteponenda. Quocirca mihi persuadeo, si huic homini ante natiuitatem constitisset se nasciturum propter dictam causam, illum æquo animo laturum fuisse. Quarto, & vltimo, etiamsi omnes dictæ causæ defuissent, tamen adhuc Dominus iure negare potuisset illi aspectum, quia egregie eum postea com-

Y 2 pensa-

penfauit afpectu multo nobiliore, nempe animæ, quando diuina fide à Chrifto donatus eft. Qua de caufa laudamus, verbi caufa, chirurgum, qui cauterio inuffit brachiū, vt falutem afferret capiti.

OPERA DEI. Loquitur in plurali, quia primum Deus in hoc homine declarauit fuam bonitatem, fanando eum in corpore & anima. Secundo omnipotentiam: cæco enim nato reftituere videndi facultatem per fe non potefl nifi qui infinita præditus eft virtute. Noto etiam quicquid hic factū circa cæcum, vocari opus Dei, quia voluit Chriflus, & factis miraculofis, & verbis differtis, inquit Chryfoftomus, patefacere fe efle Deum.

ME OPORTET operari. Credo Chriflum ideo dicere fe astrictum ad patrandam miracula, vt confirmaret, quod dixerat capite præcedenti. *Ego non quero gloriam meam,* & quo ora Iudæorum obftrueret, qui facile obmurmuraffent, fi cognouiffent ei liberū fuiffe abftinere à miraculis. Nec ideo adempta illi fuit libertas arbitrii: fed tantum indicat, fe obligatum fuiffe ad patendum æterno patri. obedientia autem perficit potius liberum arbitrium, quam tollit. Vnde colligo, inquit voluntas boni Religiofi, me non

non secus obligatum ad obsequendū mandatis, vt existimem moraliter mihi impossibile, vel vt non obsequar, vel vt contrarium faciam. Ac pariter non posse me quacunq; obmurmuratione, vel ludibrio ab hoc instituto deterreri, sicut nec Christus sannis & irrisionibus Phariseorum à faciendis miraculis abduci potuit. Denique statuo, me prauum illum affectum radicitus ex imo corde euulsurum, quem dæmon solet iniicere, nempe vt ideo ægrius, quod alioquin sponte eram facturus perficiam, quoniam à superiore mandatum est. Video enim Christum gaudere & gloriari sibi, quæ facturus erat, esse imperata.

OPERA HVS, *qui misit me.* Hic quoque loquitur numero plurali: etiam si enim redemptio nostra, propter quam missus fuit, vnicum opus fuerit quasi vniuersale, continebat tamen in se multa particularia: ex quibus vnum erat, per doctrinam & miracula demonstrare se esse filium Dei. Si vero sigillatim de hoc miraculo locutus est, arbitror ideo plurali numero vsu, vt me doceret, vnum præstando præceptum, se reliqua non obliuisci, sed memoriæ impressa tenere. Credo etiam eum vsurpasse periphrasin illam, vel circumlocutionem. *Esse*

qui misit me. loco, PATRIS, vt clarius ostenderet, quantopere obligatus esset ad patrandum hoc miraculum, dicens se speciatim missum in hanc rem, atq; etiam ad patefaciendam suam subiectionem, quatenus erat homo. Poterat quidem, inquit B. Augustinus, tum qua homo, tum qua Deus appellare opera sua, sed maluit partim ex humilitate, partim ex desiderio omnem gloriam in Deum conferendi, attribuere Patri.

DONIC DIES EST Metaphora est, ait Intellectus, quasi dicat, *dum vivo.* Nam sicut laboribus ordinariè dicatus est dies, nox ita bene operandi tempus homini concessum est dum adhuc est in viuis, secundum illud Psalmi. *Nos qui vivimus, benedicimus Domino.*

Psal. 113.

VENIT NOX. Nox, eadem metaphora, hic pro morte ponitur, quando nemo potest operari, iuxta illud. *Non mortui laudabunt te Domine.* Adhuc obseruo, quod dicat. *Venit,* tempore presentis, ad declarandum ingens moriendi desiderium, iuxta dictum postea prolatum. *Desiderio desideravi hoc*

Luc. 22.

Pascha manducare vobiscum. Pascha, id est transitum ex hac vita.

QUAMDIU sum in mundo, lux sum mundi.

Pex-

Persistit in eadem metaphora. ut sit sensus.
 Sicut, quamdiu sol ille corporeus supra ter-
 ram existit, non potest non radiis suis or-
 bem illustrare: Sic ego, cum sim lux qua il- *Ioan. 1.*
luminat omnem hominem venientem in hunc
mundum, ex Patris mei mandato teneor
 doctrinae meae radios, miraculorumque
 splendorem emittere in *μικροκόσμον* homi-
 nem. Huc Memoria adfert, quod B. Ioannes *Ioan. 3.*
 Euangelista scripsit de S. Ioanne Baptista.
Erat lucerna ardens, & lucens In qua verba
 dicit Intellectus. Noto eorum ordinem,
 primo enim vocat ardentem, tum lucen-
 tem, & sic ratiocinor. Quemadmodum
 lucerna illuminare non potest, nisi ardeat,
 sic neq; concionator, neq; Prælati potest
 efficaciter inflammare alios, nisi & ipse sit
 inflammatus. Hunc autem modum illumi-
 nandi homines per opera bona, consuluit *Matt. 5.*
 Christus, cum dixit. *Sic luceat lux vestra coram*
hominibus, & videant opera vestra bona.

CUM HOC DIXISSET. Verba sunt Eu-
 angelistæ, repetitioque summaria dicto-
 rum Christi. quod ideo factum cogito, ut
 commonefaceret nos ea non esse à Domino
 fortuito prolata, sed admodum consideratè,
 tum propter rationes iam allatas, tum ut in-
 nueret, quandoquidè Dominus verbis filius

Dei satis esset declaratus, idem etiam confirmaretur factis miraculis.

EX PVIT *in terram, & fecit lutum ex spu-
30, & linsit lutum super oculos eius.* Pergo credere, inquit Intellectus, Dominum illuminasse cæcum luto. Primo, vt demonstraret id factum virtute non naturali, sed diuina: lutum siquidem non solum non insitam habet huiusmodi vim, sed prorsus contrariam, hoc est, excæcandi. Ne vero quis tribueret vim illam aquæ, Luto non aquam adhibuit, sed sputum. Quo etiam, inquit Ambrosius, ostendit se esse hominem diuinum, vt pote cum potentissimum illud spiritum ex ipso Christi corpore processerit Hic Memoria adducit duorum cæcorum exemplum, quos B. Matthæus refert illuminatos: *Matt. 9.* vnus c. 9. & alterius, c. 20. vt intellectus vtrisque collatis indicet, in quibus conueniant, & in quibus discrepent, fructusque aliquis spiritualis excerpatur Quod prætermitto facere, ne nimium prolongetur Meditatio.

V A D E, L A V A *in natatoria Siloe.* Primo animaduerto, ait Intellectus, Euangelistam ipsum sollicitum fuisse de interpretatione vocis *Siloe.* Quod interpretatur, inquit, *Missus,* vel Legatus. Vnde Augustinus tractatu

34. collegit esse nomen Messia. *tam qui sit missus*, inquit, *agnoscitis: ille enim nisi fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus.* Et longius progressus Intellectus dicit, Credo Dominum voluisse restituere oculorum lumen subito illi, uti fecerat aliis, misisse autem ad aquas Siloe, ut, quoniam per totam urbem iter faciendum erat, ab omnibus lutum oculis appositum conspiceretur, & postea ab iisdem in reditu videndi facultate donatus agnosceretur, sic manifestius illustriusque, efficeretur miraculum. Vel id factum est, ut fides eius & obedientia probaretur.

ABIIT ERGO, & *lauit*, & *venit videns.* Sunt verba Euangelistæ. Et ego, inquit intellectus, credo illa non solum dicta, ut exitus rei intelligeretur, verum etiam ut aduerterem, recuperatum sensum oculorum fuisse quasi obedientiæ eius præmium, cæterarumque virtutum, quas in hoc facto declaravit. Inter quas primo est Patientia, qua passus est luto liniri oculos videtur non potius murmuraturus fuisse, dicturusque luto magis excecari, quàm illuminari oculos: esse ineptum illum modum restituendi aspectum, potius se debuisse verbo vno sanari, sicut quidam sanatus est apud B. Lucam cap. 18. Verum

Y s nu

nullum eiusmodi verbum effutiit. Secunda virtus est Fides, qua credidit, non vacillando vnquam in illa, neq; in principio, neque per viam, licet ratio humana suggerere illi potuerit hoc remedium vel noxium esse, vel saltem inutile, vtpote probè conscius, multos in illa piscina ablutos, nec tamen illuminatos. Tertia est obedientia, quam demonstrauit dando se in viam, & lutum abluendo. Ad hoc propositum Memoria proponit murmurationem, & exigua obedientiam Naaman, quando Elizaus ei mandauit vt septies tingeret se aquis Iordanis, si vellet liberari à lepra.

4. Reg. 5.

VICINI, & qui viderant eum prius, quia mendicium erat, &c. Hic Euangelista, ait intellectus, exprimit quæ contentio orta sit inter vicinos de hoc cæco, essetne ipse, an alius; vt animemur ad ferendas patienter aliorum obtreccionem, & querelas de nobis. Ex responso autem à cæco facto, cum dixit, EGO SUM, colligo, inquit Intellectus, eius humilitatem: nec enim puduit eum fateri se fuisse cæcum. & mendicum, sed disertè confessus est, ad animandos homines spiritales, vt audacter, quando ita conuenit, patefaciant suam vilitatem, & ad pudefaciendum eos, qui præ verecundia
illam

illam cælant. Quanquam & hoc responsum ab eo datum auguror, vt se gratum ostenderet benefactori, testimonium præbendo miraculo.

Quomodo aperti sunt tibi oculi? Naturale est homini indagare causam rerum miraculosarum, raroque contingentium, & idcirco isti percontantur, qua ratione cæcus facultatem videndi receperit? Obseruo autem eos non quærere, quomodo videat, sed quomodo aperti sint eius oculi; quod pertinet ad amplificationem miraculi, nonnulli siquidem cæci sunt, qui integrum oculi organum habent quidem intra suas pelliculas, sed ob impedimentum, ad videndum inidoneum. verum huic cæco, nullum vnquam oculorum organum fuisse videtur, vt apparet ex modo loquendi istorum. *Quomodo aperti sunt tibi oculi?* Supponunt enim palpebras iam corrugatas & contractas, quod natura facere solet, ne detur vacuum. Et ideo quidam Doctor existimat, Dominum ex luto duos quasi globulos confasse, & sublatis palpebris concauitatem vtramq; compleisse, & dum lauarentur palpebræ in veros oculos commutatos, forte vt demonstraret se esse, qui quondam hominem primum ex luto condidisset.

RESPON-

RESPONDIT *ille homo*. Vicini tantum percontati ab illo erant, quo modo sanatus esset: ille verò addidit, & à quo sanatus esset, suæ lætitiæ declarandæ causa, quæ naturaliter dilatat cor, & promptiorem hominem ad loquendum reddit. Noto præterea pronomen *ILLE*, quo indicavit, Christi nomen iam fuisse celebratum. Considero deinde, quod vocarit *hominem*, vt demonstraret, illum, vt erat, esse hominẽ cum quo nullam ante consuetudinem habuisset: & ideo nec nomen eius expressit. Tantum rumore didicerat vocari *IESVM*. Nec dubito eum hac ratione à Spiritu sancto motum obtexisse suspicionem, vel malitiam ipsorum, quandoquidem facile vel suspicari, vel comminisci potuissent, eũ ex intima amicitia cum *IESV* inita, finxisse se cæcum, & petiisse à cæcitate liberari.

QVI DICITVR IESVS. Quamuis nunquam ante vidisset *IESVM*, videtur tamen potuisse scire, sibi redditum lumen à *IESV*. poterat enim à circumstantibus, vt alius quidam cæcus fecerat, nomen expiscari, vel ex communi hominũ fama didicisse, vocari Iesum illum qui faceret miracula, vel denique ab ipso Christo, cum luto oblinirentur oculi, cognouisse. Quomodocunq; autem resciverit,

uerit, prodendo eius nomen, & demonstra-
uit se gratum benefactori, & miraculorum
Christi factus est prædicator. LVTVM FECIT.
In hoc respondendi modo noto prudenti-
am hominis, dum ait Christum fecisse lu-
tum, cum tamen facientem non vidisset,
poterat enim sensu tactus illud cognosce-
re, cum oculi oblinirentur. Et ideo sputi
nullam mentionem fecit, quia tactu non
potuit percipere, lutum sputo esse tempe-
ratum. Vnde colligo, ait volūtas, me in ser-
mone debere esse circumspectum, ne erro-
ri, vel offensionis locus detur. VBI EST ILLE?
Ita locuti sunt, aut quod sciscitarentur, vbi
esset IESVS, vt se illi adiungerent, vel vt eum,
tanquam festi violatorem ad Phariseos
pertraherent, aut vt suo iudicio alterutrum
cognoscerent. Sed bene respondit cæcus, se
nescire, vel quia reuera nesciebat, vel quia
animaduerteat dolū latere in quæstione.

ITERVM *interrogabant.* Repetuerunt
Pharisei interrogationem, quia non erant
contenti responsione vicinorum. Et aduer-
to eum surpare tempus imperfectum, quia
multi idem erant deinceps sciscitaturi. Ex
responso autem eius consecutum est inter
eos schisma, vt alii ad Christi partes accede-
rent, alii verò veritatis lucem pertinaciter
refuge-

refugerent, dicentes. *Non est hic homo à Deo, qui Sabbathum non custodit,* quasi dicerent, fieri non posse, vt spiritus Dei insit illi, qui debitum cultum non defert diebus festis. Arbitrabantur enim inter seruilia opera lege vetita numerandam illam compositionem luti, & linitionem super oculos cæci à Christo factam. Qua re animi sui malignitatem ostendebant, quod ex re tam leui, tam grande crimea conficerent, ex musca elephantum, cum non ignorarent chirurgos quotidie, atque etiam diebus festis occupatos in conficiendis vnguentis & emplastris, quæ longe plus temporis quam confectio luti requirunt. Longius verò progrediens intellectus ait, homines nimium suis affectibus indulgentes, ex vno actu, statim inferre generales propositiones & perpetuas, vt quod semel factum est, ordinariè & semper fieri credatur. Qui verò Christi partes adierant, dixerunt. *Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Conferens autem intellectus has duas responsiones dicit. Istos non asserere affirmatè Christum non esse peccatorem, sed dicere quasi admirantes de contrario, idque cum aliqua dubitatione: illi verò id asseruerunt absolutè. Vbi veram video reddi
docti.

doctrinam traditam à Christo apud B. Lv- Luc. 16.
CAM, dum ait. *Filii huius seculi prudentiores
filiis lucis in generatione sua sunt.*

Tu Quid dicis? Dubium est, cuius sint
hæc verba, obstinatane factionis an con-
uersæ. Obstinatæ videntur, ob verba mox
subiecta. *Non crediderunt ergò iudæi de illo.*
Contra, videntur conuersæ, ob verba im-
mediatè, dictæ interrogationi annexa. *Qui
aperuit oculos tuos.* alii enim potius addidif-
sent *Qui sabbathum non custodit.* Verum
forte ab vtraq; factione hæc quæstio posi-
ta est, cum enim inter se essent discordes,
cõmmuni consensu illum iudicem consti-
tuerint, & ita obstinati quæstionem incho-
arunt, *Tu quid dicis de eo?* conuersi verò reli-
quum addiderunt. *Qui aperuit oculos tuos.*
cum proposito, vt posita ob oculos benefi-
cii magnitudine liberius proficeretur veri-
tatem, sicut & fecit, dicens.

QVIA PROPHEIA est. Noto hic, inquit
Intellectus, primo conuersorum modestiã,
quod non sint ex hoc responso ipsis fauen-
te facti insolentiores, & aliis insultarint, sed
tantum spectarint confirmacionẽ veritatis.

Hic est filium vestrum? Cum causa cecidif-
sent obstinati, non conquierunt, sed no-
uam moliti sunt technam, vt suæ libidini
satisfa-

satisfacerent, aduocant parentes, sperantes se ab illis, quoniam plebei & viles homines essent, ac proinde timidiore, extorsuros, vt vel negarent filium suum cæcum natum, vel mentirentur Christum cum eo clam egisse vt se cæcum fingeret. Id enim indicare videntur verba illa. *Quem vos dicitis, quia cæcus natus est.* q. d. vos spargitis filium vestrum esse cæcum natum; consultius foret, si nō sparsissetis: iam cum sparseritis, rationem reddite. *Quomodo ergo nūc videt?* quod si non potestis, palinodiam canite, ne vos dicti pœniteat.

SCIMVS, *quia hic est filius noster, & qui cæcus natus est.* Mediocritatem in responso secuti sunt, quia demonstrarunt se, partim audaces & veridicos, confitendo esse suum filium, & cæcum natum, partim timidos, & fortè nec veraces, negando se nescire, quomodo visum recepisset: cognoscere enim potuerant ex filio. verum metu Iudæorum nimio prohibiti sunt, vt ait Euangelista, à sincera confessione: nec eorū testimonium plus valuisse quam filii iam ætate proe-cti: quicquid enim dicturi erant, id ex ore solius filii prodissset, vnde aiunt. *Ætatem habet, ipse de se loquatur.* Noto præterea in illis duo metus signa. Primum est, quod cum

illis duo metus signa. Primum est, quod cum ex confessione miraculi facti minimè sequeretur eos credere Christum esse Messiam, tamen de ea re conticuerint. timidus enim non solum malum, sed etiam speciem & umbram mali reformidat. Alterum est, quod quicquid facti sunt, quasi per transennam enuntiarint, dicendo, *Scimus, quia hic est filius noster*. verum alterū, quod inficiati sunt, quia in eorum damnum & exitiū tendebat, duplici formula verborum negarūt. *Quomodo autem nunc videat nescimus. aut qui eius aperuit oculos nos nescimus* significanter autem vsi sunt pronomine, Nos, videntur mihi duo isti miselli, repræsentare quosdā in religione tyrones nouos, sed tepidos, qui optarēt se gratos esse Deo pariter & mundo, & vt vulgo dicitur, duab. sedere sellis, quod Christus pronūciauit impossibile *Nō potestis, inquit, Deo seruire & māmonæ.* Matt. 6.

Da Gloriam Deo. Cum Pharisei nihil extorquere possent à parētibus, rursus adorti sunt bonum cæcum, eiusq; conscientiam in testē veritatis aduocarunt exigentes, vt non secus de ea sentētiam ferret, ac si staret corā omnium rerum inspectore & iudice Deo: quod fecerunt, vt vel aliquod exprimerent scædus in initum à Christo cum illo de simula-
 Z tione

mione cæcitatís, vel cæcum inducerent, vt non Christo, sed Deo suam illuminationem acceptam ferret.

Nos scimus, quia hic homo peccator est. Emphasis est in pronomine Nos. ac si dicerent: Crede nobis, vt hominibus eximia doctrina & sanctitate præditis, Est & emphasis in verbo scimus, q. dicant, certo & exploratè cognoscimus, non dubitanter, & per suspicionē duntaxat. Obseruo in hoc modo loquendi vitium detractionis, quando Christum absentem asseuerant esse peccatorem, quæm præsentem non asseuerarent: dixisset enim illis, quod alias dixit *Qui ex vobis arguet me de peccato.*

Si peccator est, nescio. Sciebat certe cæcus cum non esse peccatorem, quia paulo ante vocarat eum prophetam, id est, iustum & sanctum. Sensus ergo est, Nescio, id est, non opus est iam hæc disputare & discutere, peccator sit, necne. Hoc modo respondendi declarans, se eorum opinionē non solum æstimare falsam, sed etiam vsq; adeo friuolam & malignam, vt prorsus indigna sit responsione. Vbi voluntas dicit. Propono in posterum fugere disceptationes & lites, quæ solent in colloquia incidere, maxime quando res maioris momēti inde turbantur aut

impe-

impediuntur. Similiter statuo me, quoties in sermonem friuola quædam & inutilia, refutationeque digna inducta fuerint, quantumque possum modestia saluo auctorum honore & verecundia, redarguturum.

Vnum scio, quod cum essem cæcus, modo vido. Quoniam cordi illi erat miraculū patefacere, nō dubitavit hac verborū forma uti.

Quid fecit tibi? Quoniam astuabant desiderio eripiendi gloriam Christo, eandem questionem, iterum atq; iterum inculcant: spe vana, credo illecti, illum in aliqua euariaturum, immemoremque ante dictorum futurum. Verum ille animo erectior factus, audacter occurrit. *tum dixi, vultisne iterum audire?* Qualem audaciam suggerit spiritus Dei, & bona conscientia, secundum illud Psalmistæ. *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Psal. 118.

Nunquid & vos ex discipulis eius vultis scire? Nam animaduertent, Pharisæos capitali odio Christum persequi, & ideo vndique criminandi occasiones quæstuisse. Nilominus valde prudenter indicauit se in eam opinionem venisse, ideoque toties examen huius miraculi ab ipsis iteratū, ut possint certo explorare eius veritatē, ac deinde si discipuli eius fierent, solidā conuersionis



suæ causam redderent. Noto adhæc vocem
 FIERI, qua ostendit se iam satis instructum
 in modo adiungendi se Deo, conuenienter

Ioan. 1.

Ioan. 6.

illi Christi dicto. *Non vos me elegistis, sed ego
 elegi vos.* Et alibi, *Nemo venit ad me, nisi pa-
 ter meus traxerit eum.* Obseruo & particu-

lam ET, quæ non obscure insinuat se iam fa-
 ctum discipulum, & ideo illos inuitabat. V.

bi voluntas dicit. Constituo in animo meo,
 & ego, quoniam spiritus diuini proprium

est alios ad diuinum seruitium trahere, me-
 minimum bono vitæ exemplo multos at-

tracturum ad faciendum officium Christia-
 no homine dignum: sicut fecit S. Andreas,

qui simulatque in notitiam Christi venit, ut
 indicauit fratri suo Petro, dicens, *Inuenimus*

Ioan. 1.

Messiam, eumq; ad Christum adduxit. Idem
 fecit S. Philippus adducens Nathanaelem.

Tu Discipulus eius sis, Responsum est Pha-
 risæorum, per modum iniuriæ vel contu-

melie prolatum, ut affirmat S. Basilius Reg-
 breuiorum 24. his verbis. *Conuictum est, seu*

*maledictum omne verbum, quod eo animo pro-
 fertur, ut ex eo contumelia seu ignominia alter*

*afficiatur: licet verbum ipsum per se non videat-
 ur contumeliosum, atque hoc manifestum est*

*ex Euangelio. In eo enim dicitur. Et maledi-
 xerunt ei. Sensus ergo est. Tu homo indoctus*

& im-

& improbe, sis istius scelerati hominis auditor, per nos licet. Hic quoq; obseruo impudentiam impiorum hominum, qui veritate conuicti erumpunt mox in contumelias & verba probrosa.

Nos autem Moysi discipuli sumus. Anteferrunt Moysen Christo, causamque reddunt, quod sciant Deum locutum Moysi, de Christo autem nesciant, vnde sit. Hic noto ex prauo affectu corrumpi iudicium intellectus. quia vel ex eo solum quod in scriptura legerant, vel ab aliis narrari audierant, credunt Moysen collocutum cum Deo, & tamen asseueranter iactant se scire. *Nos scimus.* De Iesu vero aiunt, nescimus vnde sit, cum tamen oculis suis cernerent tam grandia ab eo patrari miracula.

In hoc est mirabile. Aduerto sensum huius boni cæci animum magis magisq; inflammati: nam nunc palam omni excluso vel pudore vel metu suscipit Christi defensionem. Est vero emphasis in pronomine *hoc*, vt verborum illorum hic sit sensus Nō possum satis mirari, homines tam eruditos latere potuisse, cæcum natum non posse vlla virtute humana, sed tantum diuina illuminari, maximè si oculus illi nullus ante fuerit. quibusdam enim cæcis oculos habentibus,

bus, & ob accidens aliquod facultate cer-
nendi destitutus, ars medicinæ potest vsum
videndi restituere, non tamen potest resti-
tuere pupillam, quæ mihi restituta est. Itaq;
meo iudicio deberetis cõcludere hunc ho-
minem missum esse à Deo, quandoquidem
diuina sunt eius opera.

*Scimus autè, quia peccatores Deus non ex-
audit.* In plurali numero dicit, scimus, vt in-
dicaret axioma illud esse cõmune, hominũ
etiam idiotarum, nempe nõ exaudiri à Deo
peccatores, sed eos tantũ qui intimo corde
eum colant, eiusq; mandatis obsequantur.
Hic voluntas dicit. Statuo diuina iuuante
gratia, me deinceps integræ & exactæ diui-
norum mandatorum, ac præterea etiam re-
gularum mearum obseruationi strenuam
operam daturum, vt quando in orationibus
Deũ precabor, vt liberet me ab aliqua ten-
tatione, afflictionè ve, vel vt singularem im-
pèriat gratiam, confidere queam me exau-
ditum iri. Hic offert se occasio examinandi
duas quæstiones. Vna est, sitnè verũ Deum
non exaudire peccatores? Altera, an pecca-
tores non possint facere miracula? Sed quia
speculatiuæ sunt data opera eas prætermi-
to, vt patet à documento initio libri tradito.

A seculo non est auditum Deprehendo in
hoc cæco mirabiles diuinæ gratiæ effectus

naur

nam in intellectu video magnam accessio-
nem factā ad rerum diuinarum notitiā:
in voluntate verò robur liberè annunciādi
miracula Christi. Sumit enim hic probandū
Christum non esse peccatorē, ex eo quā prin-
cipio mundi nullus cæcus natus ab homine
peccatore sit curatus. Et opinor eū hac ge-
nerali loquendi forma etiam comprehen-
disse Moysen, vt eum indicaret postponen-
dum Christo, quem illi præulerant. Vnde
disco, quanta modestia in sermone seruan-
da sit, quantusq; honor sanctis, hominibus-
que virtute præditis sit deferendus.

In peccatis natus es totus. Hypocrisis diu
ocelati nequit. Finxerunt hæcenus Phari-
sæi se strenuos obseruatores legis, & gloriæ
diuinæ defendendæ studiosos, vt voto suo
potirentur: Iam vero quia vident se frustra
laborasse larua hypocrisis detracta, palā de-
clarant fastū, quē intus in pectore aluerunt.
Siquidem à cæco conuicti, Christū esse ho-
minem diuinū, conuertuntur ad iniurias &
opprobria, obiiicientes illū peccatis esse ple-
nū, in corpore & anima, in corpore ratione
cæcitatē, in anima ratione culpæ. Id. n. vno
sensu designat vox TOTVS. Alio vero potest
significare totū vitæ tempus, quasi à primo
natali die fuerit obnoxius peccatis. Potest

& tertius esse sensus, vt quantus est, quantumq; habet sit peccato obnoxium; & cæcitas, & mendicitas, & generis humilitas, & sermonis imprudentia, aliaq; id genus.

Et tu doces nos? In utroq; pronomine magna est emphasis, magnamq; eorum demonstrant superbiam. Sic enim loqui voluisse videntur. Tu homo idiota, plebeie, ignorans, mendice, & à Deo castigare ob peccata audes docere nos, qui sumus legis peritissimi, omniaq; intelligimus, quæ in ea continentur. Nos inquam, qui nec sanctitate quidem vitæ cuiquam cedimus. nos, à quibus tu hesternò die eleemosynam minimi oboli postulares. Quo responso egregie mentis suæ demonstrarunt cæcitatem, existimâtes hominem illum, quoniam cæcus natus esset, non posse à Deo sic in rebus diuinis instrui, vt ipsos docere posset. Contrariû affectum humilitatis obseruauit S. Ambrosius li. 2. in Lucam, in persona B. Virginis, quæ etiam si perfecte illustrata esset à Deo, tamen à simplicibus pastoribus discere non erubuit. *A pastoribus, inquit, etiam Maria fidem colligit. à pastoribus populus ad Dei reuerentiam congregatur. mirati. n. sunt de his, quæ dicebantur à pastoribus. ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*

Et

ET EIECERVNT eum nempetanquam indignum suo consortio. Erant enim ex illo arrogantium hominum genere, de quibus quidam propheta scripsit: *Qui dicunt, recede longe à me: noli me tangere, quia mundus sum.* Nec dubito eum ignominiosissimè ab illis explosum, cū oris sibilis, complosione manuum, excussione pulueris, ac forte etiā lapidum eiaculatione,

AVDIVIT IESVS, quia eiecerunt eum. Salutaris illi fuit hæc ignominiosa eiectio, quia Dominus, simulatque eum cognoverit, (vtnunquam deserit suos, maxime autē amore sui aliquid perpeffos,) studiosè eum per vias quæsiuit, & reperto dixit. *Tu credis in filium DEI.* Vbi obseruo, Dominum, cum vellet ei corporalem donare visum, non exegisse ab eo consensum. sicut nunc facit; cum vult animæ donare visum spiritualem. Cuius causa est, quod ad fidem suscipiendam nostrum requiratur liberum arbitrium, secundum illud Augustini dictum. *Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te.* Noto etiam modestiam Domini, nec enim, licet filius DEI esset, dixit. *Tu credis in me?* deinde dexteritatem in catechizando. Modo siquidem illo loquendi insinuauit, ipsum in se tanquam Deum & hominem credere.

Aug. ser.
15. de verb
Apost.

Z s QVIS

QVIS es Domine, et credam in eum? Promptissimè non solum credidit, sed etiam factis monstravit. Simulatque enim audiuit. Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. respondet, Credo Domine, ore nimirum confitendo, quod credebat in corde, & genibus flexis adoravit eum, nam subiicit Evangelista, Et proci-dens adoravit eum. Memoria huc apportat responsum Samaritanarum Domino datum. Ego sum, qui loquor tecum. Quod conferens cum illo Intellectus, dicit. Apertè dixit illi mulieri, se esse Messiam quem ipsa dicebat venisse. hic autem non apertè. Cuius rei causa est, quia multi alii, maximè Pharisei præsto erant, vnde conveniebat ut modestè de se loqueretur. Cum autem cæco dixit. Ego sum, qui loquor tecum, solus soli locutus est. Vnde disco, inquit voluntas, non predicare meas laudes, nisi necessitas urgeat; & cum viderit, parè & modestè. Finis huic Meditationi imponitur sequenti Colloquio.

DOMINE, quoniam venisti ad illuminandos cæcos, illumina obsecro cæcam animam meam, ut sua mala interna externa-que rectè obseruare queat, & deprehendere, ac deprehensa oculis tuæ diuinæ maiestatis obicere, ut plenam consequatur in-
 dul-

Joan. 4.

dulgentiam. Confido benignissime Saluator, te illuminaturum me, quoniam petiui, cum illuminaueris cæcum à nemine rogatus.

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

PARADIGMA MEDITATIONIS
in Puncta simul &
Textum.

C A P. VI.

Ro huius Meditationis argumento existimaui maxime idoneam fore *Orationem Christi in horto Gethsemani*, tum quia varia in ea occurrunt personæ, sermones, & facta: tum quia intra unum punctum & alterum multa se offerunt ruminanda. Diuidetur autem mote consueto in tria puncta.

¶ : 0 : ¶

PVN-

PUNCTVM I.

*Finita Cœna exijt Christus cum discipulis
in montem oliueti, & ingressis in hortum
dixit. Sedete hic, donec vadam il-
luc, & orem.*

INTELLECTVS inchoans discursum sic lo-
quitur. Hoc primum punctum, continet
earum actionum vnam, quæ dicuntur Ex-
ternæ, & nullum opus post se relinquunt, v-
ti est, profectio Saluatoris ad hortum Geth-
semani. Et quia est motus localis, vt perfe-
ctius intelligatur, video tria esse conside-
randa, nempe locum, vnde profectio capit,
spatium, quod conficitur, & terminum ad
quem peruenitur. Locum quidem vniuer-
salem, vnde disceditur, video esse urbem
Hierosolymitanam: particularem vero æ-
des, in quibus fuit cœnaculum.

LONGIVS deinde tendens Intellectus ad
indagandum causas discessus, dicit. Primum
cogito eum vrbe excessisse, vt Iudæ, Iudæis
que animam adderet ad se capiendum, ex-
ploratum enim erat illos ægrè id molituros
publicè in vrbe propter tumultum populi.
Ex cœnaculo deinde credo discessisse, tum
quia

quia non videbatur conueniens, vt in illo comprehenderetur, vbi tam sublimia peregerat mysteria, tum ne damno aliquo afficeret hospitem, à quo tanta beneuolentia erat exceptus.

Hoc discursu mota voluntas ait. Propono me diuina adiuuante gratia omnes actiones meas etiam pias & sanctas, quas in meum vel proximorum commodum exercebo, ea cautela & modo instituturum, vt neq; de bona meæ personæ existimatione aliquid detrahā, neq; proximo vllam damni, scandali, vel querimoniæ occasionē præbeā.

Migrans deinde intellectus ad secundum dicit, totum viæ spatium à Christo confectum vsq; ad hortum vocari *torrentem Cedron* quæ vox significat, *obscurum*. Decurabat enim hic torrens in ima valle, quæ est intra montem Oliueti, & collem supra quæ exstat Vrbs ipsa quæ vallis quoniam angusta est, depressa, & arboribus densa vmbrosum & obscurum transitum efficiebat. Neq; existimo à Christo institutum illac transitum fortuito, aut fortuito id ab Euangelista narratum, sed æterna Dei prouisione, nimirum ad præfigurandam obscuram mortificationem sacræ Domini passionis, cui mox initium dandum erat.

Atque

2. Reg. 15. Atq; hic Memoria ait. Occurrit mihi hic transitus à rege Dauide per hunc ipsum torrentem quondam factus, quando fugiebat suam filium Absolonem: nec enim dubium est, hunc illius typum exitisse.

Ad tertium vero transiens Intellectus, nepe ad profectiois terminum, dicit. Primus, & magis vniuersalis termini locus est mons Oliueti, vt refert S. Lucas, *Et egressus ibat secundam consuetudinem in montem Oliueti.* Particularis vero est villa Gethsemani, qua voce intelligo designari *Vallem pinguem*, quia eius terra erat fecunda & fertilis. Cōgruenter autem teste S. Hieronymo, voluit Dominus in hac valle comprehendi, loco pascendis pinguibus tauris idoneo, à quibus erat capiendus, vnde apud Psalmistam

Psal. 21. dicit. *Tauri pingues obsederunt me.* Denique video magis particularē locum, fuisse hortū in dicta valle situm Vbi discurrens Intellectus ait: Sicut in horto ab Adamo terreno datum est nostræ ruinae principium per delectationem, sic secundus Adamus & coelestis reparationi nostræ initium dare voluit in horto per suam passionem.

Quare mota voluntas, Propono, inquit, me, quoties cogitatio subdit ad eūdi hortos, aliāue loca, recreandi animi causa, operam daturum.

daturum vt in mentem quoque veniat trifticia, quam Chriftus perpeffus eſt in horto.

Conſpecta huius motus natura, intellectus tranſiens ad conſiderationem circumſtantiarum, initium facit à Fine, dicens. Eū non alium credo eſſe, quam in horto oraret. Vnde colligo, voluntatem dicere, ſe tanta moderatione cibum velle mihi porrigere, vt facile & ſubito poſſim orationi vacare, vt fecit Chriftus, & docet B. Hieronymus. Altera circumſtātia eſt **TEMPVS**, quod video fuiſſe nocturnum, & ideo ad ambulandum ſatis incommodum. Vbi voluntas ait. Statuo nullum laborem, nullumq; diſcrimen defugere quocunq; tempore, modo frui poſſim hoc ſancto Meditationis exercitio.

Et quoniam omnis actio proficilicitur à ſuo Agente, intellectus eum indagans dicit. Inuenio comites itineris Chrifti fuiſſe diſcipulos, vt docet B. Ioannes, vbi intellectus. *Ioan. 18.* Video, inquit, diſcipulos ſecutos Chriftum, licet inuitati non eſſent, vt indicant verba *Lucæ*, dum ait. *Secuti ſunt autem illum & diſcipuli.* Paulo ante enim promiſerant ſe cum illo iturum in carcerem, & in mortem, ſi neceſſe foret & deinde tanto amore eum proſequebantur, vt
nec

nec ad minimum momentum abesse ab eo possent. De quo facto voluntas sic loquitur. Ego etiam Apostolorum exemplo conabor tanto amoris affectu complecti omnes qui mihi imperare habent, vel aliquam mei curam gerunt, vt infixurus sim eos cordi meo velut DEI Vicarios.

Et porro procedens Intellectus dicit Audio Dominum in ingressu horti dicentem ad discipulos. *Sedete hic, donec & adam illuc, & orem Orate, ne intretis in tentationem.*

Quæ verba examinans Intellectus ait: Vox SEDERE dicta est tanquam à Patre amantissimo ad filios carissimos. Iubet autem eos sedere, & non stare, aut genua ad orandum flectere, forte vt commodius quiescerent: erant enim magna tristitia obruti, eo quod metuerent breui Dominum è manibus ipsorum subripiendum, ac proinde & toto corpore languescabant. *Spiritus enim tristis*, ait Sapiens, *exsiccatur.* Deinde, quia sciebat eos breui omnes fuga dilapsuros, & ideo voluit esse viribus magis integros & recentes. Animaduertit quoque eum vt Imperandi modo, non enim dicit. Si velitis, orate, sedendo, facite quod lubet, &c.

Quo loquendi modo paternam erga suos curam

curam amplius declarat, exemplumque omnibus superioribus præbet, ut oculos sæpe in subditos coniciant, utrum re aliqua egeant, & libenter necessaria adiumenta vel solatia suppeditent, iis maximè, qui minimam sui curam gerunt, & necessaria quandoque negligunt. Deinde, ut etiam si ipsi nonnunquam ad magnam seueritatem rigoremque affecti sint, tamen non omnes promiscuè ad eam pertrahant, sed cuiusque vires & qualitates metiantur, & aliquando imbecillitati aliquorum condescendant, aut certe consilio, vel precibus ad duriora etiam præstanda, quæ tamen vocationi congruant, prudenter inducant. Denique ait Intellectus colligo ex verbis illis. *donec & a-*
dam illuc. Christum ingenti amore profecutum fuisse suos discipulos. videtur enim digito locum demonstrasse, ad quem tendebat, eiusque vicinitatem. Qua de causa adiunxit & illa alia. *Et orem* innuendo, non diu se ibi perstiturum, uti & factum est. Atque hæc satis sibi cõsiderasse de primo puncto. *RESTAT* nunc ut expendamus nonnulla verba interuenientia inter hoc & secundum punctum. Verum, prius percurrenda sunt duo verba intra primum punctum comprehensa.

Primum est, *Secundum consuetudinem*. Vbi Intellectus ait. Ex multis Euangelii locis apparere Christum sepius se eo contulisse, tum quod locus vrbi esset proximus, vt commodè sub noctem adiri posset, postquam interdium docendo se defatigasset tum quia erat solitarius, habendis precibus idoneus, non quod ipse illis opus haberet, sed vt nobis exemplum daret, qui semper opus habemus, & idè quoties commoditas suppetit, orationi vacare deberemus: nec dubito Euangelistam ea de causa dicta verba, *Secundum cōsuetudinem*, apposuisse. Quamquam nobis necesse est vt solitudini corporis, coniungamus solitudinē cordis, quam tanti facit B. Gregorius vt eam longè priore anteponat.

Quod iam ad verba attinet inter primū & secundum punctum interiecta, dicit Intellectus. Video esse hæc. *Orate ne intretis in tentationem*. Et primo cogito per tentationem hic intelligi illam patiendi, quam ipse vocauit scandalum dicens. *Omnes vos scandalum patiemini in hac nocte*. hoc est, iacturam fidei facietis, contra quam tentationem vult eos armari oratione, quæ non solum tuetur nos contra tentationes præsentēs, sed etiam impetrat ne veniant in futurum.

rurum, conuenienter duabus expositioni-
 bus, quæ dictis duobus verbis inhære-
 rentur. Prior est, vacate orationi, ne con-
 tingat vobis tentatio, secundum illud con-
 siliū B. Hieronymi. *Semper aliquid manib. Hier. ep.
 operare, & te semper diabolus inueniat occu- 4. ad
 patum.* Otiosi siquidem obnoxii sunt variis *Ruf.
 tentationum telis. Multa enim mala, ait sa. Eccles. 23.
 piens, docuit otiositas. Et. Otium est origo o-
 mnium malorum.* Posterior est, *Orate Deum
 hoc ipsum, & ne tentemini.* ob periculum la-
 plus. Et hoc credo Dominum voluisse pro-
 priè indicare illis verbis. *Ne intretis in teta-
 tionem.* perinde ac si dicerem alicui, *ne in-
 tres in aquas,* ne illis circunderis & obruaris
 secundum illud Psalm. *Veni in altitudinem Psal. 68.
 mari, & tempestas demersit me.*

PUNCTVM II.

*Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum,
 & Ioannem, eisq; dixit. Tristis est
 anima mea vsq; ad
 mortem.*

INQVIRIT mox Intellectus causam cur
 Christus tres istos discipulos, & non
 A a 2 alios

alios secum habuerit, & dicit. Cogito primum id factum, quod plus illis, quam aliis, filius sit, vnde & alias separatim eos assumpsit, vt in excitatione filiæ archisynagogi, & in transfiguratione sua. Secundo, quia existimauit illos, quoniam in monte Thabor spectatores fuissent suæ gloriæ, constantiores fore quoque in hac contumeliosa persecutione. Tertio, quia in quolibet horum erat aliqua præeminētia S. Iacobus enim inter illos futurus erat primus Martyr. S. Ioannes prærogatiuam virginittatis vsurpaturus, & S. Petrus Ecclesiæ primum.

Deinde intellectus oculos conuertens in verba. *Tristis est anima mea* & scilicet ad mortem. Animaduerto, inquit, Euangelistas ante hæc verba præmittere ista. *Capit pauere, tadere, & mæstus esse.* Ex quibus omnibus, inquit, colligo binas actiones, quæ dicuntur, immanentes, vel internæ. Appetitus, nempe timorem & tristitiam. Quarum primo causam, secundo subiectum, tertio magnitudinem, quarto & vltimo finem inuenigabo.

Inchoans autem Intellectus discursum suum, per modum colloquii cum ipso Christo Domino, de causa dicit. Deprehendo,
mi

mi Domine eandem causam esse quæ ordinarie etiam in nobis est; eamque geminam. obiectum scilicet externum & principium internum, id est, animum. Obiectum enim quamprimum apprehensum est tanquam conueniens, vel disconueniens, vim habet commouendi affectus, & huic vis inest tales actiones producendi. Sed simul aduerto, Domine, quod in te longe alium modum causandi obtineant, quam in nobis hominibus imperfectis. Siquidem in nobis obiectum, simulatque apprehensum est, tanquam conueniens vel disconueniens, ordinariè, & certo modo quasi necessario ita concitat passiones, vt sæpenumero rationem percurrant, vnde & accidit vt eadem ratio impedire nequeat, ne exurgant, & postquam excitatæ sunt, non possit pro libito suo eas refrenare vel reprimere. Verū in te Domine, deprehendo contrarium, sola enim obiecta non habuerunt vim contristandi animam tuam, nisi anima rationis mandato ad id viam muniisset, & ideo anima verè dicitur voluntariè actum tristitiæ produxisse, vt indicauit Euangelista, cum Christum sic loquentem inducit. *Tristis est anima mea usque ad mortem* non enim dixit. *Tristata est*, in passiuo. Et eadem de

causa obseruo, te quoties voluisti, timuisse, & non quando obiectum vrgebat, quod significant & verba illa. *Cæpit pauere*, q. d. eum internè dedisse causam pauori. Transiens deinde Intellectus ad indaganda obiecta, ait. Video fuisse tormenta, mortem, peccata, & nominatim illud quod in exercuciendo & occidendo Christum committebatur. Hæc enim apprehensa vti certo futura, efficiebant timorem, & imaginata quasi iam præsentia, creabant tædium & melancholiam.

Transcendo deinde ad quærenda subiecta, vel potentias, quibus insunt dicti affectus, Deprehendo, inquit Intellectus, fuisse vtrumq; Apperitum, sensituum & intellectuum; vel voluntatem: quod colligo ex voce Anima, quæ continet duos illos appetitus. Progrediens deinde lōgius, dicit. Duos dictos affectus fuisse in parte sensitua conuincor ex modo illo loquendi, *Caro autem infirma*. quæ verba etiam de se Christum dixisse, docet B. Remigius, & alii. Quod autem fuerint quoq; in volūtate, primum colligo ex illis verbis. *Veruntamen non mea solūm, sed tua fiat*. Secundo, quia duo illi appetitus tam arcto inter se vinculo sunt colligati, vt vno commoto commoueat & alter, nisi impe-

impedimentum aliquod interueniat. Et quoniam ratio nulla se offert, cur Dominus talem communicationem impediat, videtur mihi securè dici posse quod peruenerit quoq; ad voluntatem Intellectus verò profectuens suos discursus redit ad Colloquium cum Christo.

CUM Domine humana voluntas in te considerari possit, quatenus naturaliter operatur, hoc est, nullo antegresso discursu, sed tatum secundū primam intellectus apprehensionem, qua subito mouetur in rem cognitam: & rursus cum eadē considerate queat, quatenus antegresso prius discursu operatur, Video, has duas commotiones fuisse in voluntate tua utroq; modo iam exposito. Nam cum intellectus tuus apprehenderet mortem, velut naturæ malum, subito voluntas futurā extimuit, & tanquam apprehensione præsens contristauit. Cum enim teste tuo B. Damasceno omnis creatura naturaliter diligat cōseruationem suā, naturaliter quoq; horret eius contrarium, id est, mortem, ut singillatim quoque affirmat B. Cyrillus de te verbo facto carne. *Caro, inquit, factum permittit carni suæ, et propria patitur, et ideo tanquam Verus homo mortem in ianuis existentem pertimuit.*

Et quoniam tua voluntas nonnunquam moueri potest ex consideratione Intellectus facta cum principiis humanis, quo casu appellant isti voluntatem inferiorem: alias verò ex consideratione rerum diuinarum cum principiis diuinis, aut humanarum, cum mediis diuinis, quo casu vocant voluntatem superiorem, animaduerto vtraque ratione inueniri in voluntate tua ambos affectus. Etenim in inferiore dolabas, mortemq; timebas, ob castigationem incumbentem populo, què amore humano velut populares tuos complectebare, & multo magis propter afflictiones, quas habitura erat Mater tua sanctissima quam eodem amore ardentissimè prosequeris. Video etiam te contristatum in parte superiori propter scelera in tua crucifixione committenda, quatenus iis **D**AVS pater atrocissimè offendebatur. Intellectus dehinc ad animam suam conuersus tale Colloquium instituit.

Quoniam, o anima mea excipere potes, Christum à suæ conceptionis primordiis fuisse in anima beatū, ac proinde ab omni dolore & timore immunem, scire debes, cum beatifico gaudio quod erat in appetitu intellectiuo, potuisse cohærere dolorem
vel

vel mestitiam in appetitu sensitivo. nam cum sint potentia inter se distincta, quæq; potuit propriam suam actionem exercere. Quod autem vterq; actus gaudii & tristitia potuerit quoq; inesse voluntati, credibile facit diuersitas obiectorum. Obiectum enim gaudii beatifici erat diuina bonitas, tristitia verò malum proprium naturale, vel secundum alios, spirituale.

RESTAT nunc excutienda magnitudo pauoris & tristitia, dicitque intellectus. Colligo incredibile fuisse vtriusq; magnitudinem. Nam, excepto quod tormenta Christo illata superarint grauitatem omnium tormentorum homini vnuquam illatorum, eo quod per phantasiam distinctissimè, liquidissimeq; sint apprehensa, hoc exasperarunt magis dolorem in appetitu sensitivo, quo spiritus animales in eo exstiterunt viuaciores, & efficaciores Eodemque gradu, vel etiam maiore dolores affecerunt voluntatem, nam cum lumen Intellectus phantasie lucem haud secus superet, quam solis splendor radios stellarum, in intimos acerbitatis tormentorum grauitatis peccati, & offensæ diuinæ recessus penetravit, ac, ideo dictos affectus longe vehementius concitare potuit. Atque hic voluntas tale

Colloquium habet cum Intellectu. Non alia equidem de causa passus sum, vel mandavi potius, vt in tam subtilem, tamq; distinctam horum affectuum inuestigationem te immergeres, quam vt hoc vehementius dolore, & toto pectore compati possim. *Is sv* doloribus obruto, non autem vt curiositatem à natura tibi insitam pasceres. Secundo colligo dolorum immensitatem ex verbis ab eo adiectis. *Vsq; ad mortem.* Videtur enim mihi in hunc modum loqui voluisse. Tanto oppressus sum pauore & mœrore, vt non longè absim à morte. Vel, anima mea patitur dolores morientib. non absimiles. Deinde eandem coniicio ex illis verbis. *Et factus in agonia*, id est, in extremo cum morte cōflictu. Quarto ex sudore sanguineo, proculdubio non nisi ex summis intimisq; animi & corporis angustiis profecto: sicut enim moribundi impendēte vice exitu solēt sudare, hoc est humorem inhaerentem sanguini venis inclulo profundere foras, sic Christo tātus obrepfit metus mortis, vt cum humore & sanguinē foras propulerit, ac tanta quidē copia, vt imbueret terram, sicut testatur S. Lucas. *Et factus est, inquit, sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Nec dubito tunc Christum

Luc. 22.

morte

morte occubiturum fuisse, nisi miraculosè
in vita conseruatus fuisset.

POSTREMVM quod diximus expenden-
dum de his affectionibus, est FINIS, ob què
pauorem illum & mœrorem Dominus as-
sumpsit. Vbi intellectus dicit. Primum fi-
nem hunc puto esse, quod voluerit esse par-
tes suæ passionis sacratissimæ, sicut fuit fla-
gellatio, coronatio, irrisio, &c. Secundus e-
rat, vt se hominem vera carne non phan-
tastica, aut imaginaria præditum demon-
straret. nam timuit, tristatus què est alio-
rum hominum instar. Tertius, vt solaretur
nos, si quando terrore concuteremur, vt
notauit S Augustinus. *Nostra, inquiens,*
humana infirmitatis affectus, non conditio-
nis necessitate, sed miserationis voluntate sus-
cepit Dominus: Et si cui ex fidelibus membris
 suis inter humanas tentationes contristari, &
dolere contingeret, non ideo se ab eius gratia
putaret alienum, & non esse ista peccata, sed
humana infirmitatis indicta.

In psal.
87.

PRO complemento huius secundi Pun-
cti superest, vt intellectus discutiatur non-
nulla verba textus, eo quod exacta eorum
notitia iuuare possit ad plenam cognitionem
rerum gestarum. Incipiens ergo à verbo
PAYERE,

PAVERE, dicit. Inuenio ea non significare quemlibet leuem timorem, sed qui inuenitur cum quodam animi stupore, & vocari potest TERROR, ac vocabulum graecum significat metum, cuius magnitudine homo quasi examinatur, & viribus deficitur. Et tibi non displicet, addo significatum eius conuenire cum significato verbi PAVERE, quod significat, percutere, vt significet pavorem, quo cor commouetur vt palpiter. Alterum verbum est TĒDERE, & significat fastidium, & deiectionem animi, qua homo obruitur ex nimio cordis dolore. Tertium est MOESTVS ESSE. Mœstitia proprie est profunda melancholia, qua homo diuturno mœrore affligitur. Vnde notat, inquit Intellectus, illam domini mei tristitiam tam intensam fuisse, vt quamuis exiguo tempore durarit, tamen exæquarit mœrorem longissimi temporis.

PVNCTVM III.

Dominus tertio orauit, & qualibet visitans tres discipulos inuenit eos dormientes.

QVONIAM diuisio cuiusq, rei non parum iuuare solet ad intelligentiam in

sex capita distinguam; quæ dicturus sum de mysteriis huius ternæ orationis. Primum erit, quæ petitio in ea contineatur. Secundum, à quo fiat Tertium cui fiat. Quartum quo modo. Quintum quo fine. Sextum & ultimum, sitne exaudita, an non.

Incipiendo à primo primæ orationis puncto, quæ fuit. *ABBA pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Ego credo, inquit intellectus, Dominum verè deprecatum mortem, idq; significari voce, *transeat.* Et confirmo ex modo loquēdi alias vsurpato. *Ut transeat ab eo hora,* ubi per synecdochen nomen partis vsurpauit pro toto. ut *HORAM* pro tempore, & pariter continens nominauit pro contento, nempe tempus, & locum penarum & tormentorum, quæ erat tunc passurus Deinde ex aliis illis verbis. *Transeat à me calix iste,* vna cum illis. Si non potest transire calix, donec *BIBAM illum.* quasi diceret Si non potest transire calix iste, nisi bibam illum. Ex quibus omnibus liquet eum loqui de sua persona, & non martyrum postea pro Christo passurorum.

QVOD ad secundum attinet, oratorem video esse *IESVM* verum hominem & Deum. Hic intellectus ad animam conuersus. *Re-cognosce,* inquit, anima mea humilitatem
tui

In Sym-
bolo.

tui IESV in hac precatone, quia eam facit ad patefaciendam suam humanitatem quam minor est Patre, ut dicit B. Athanasius *Minor Patre secundum humanitatem*: atq; ad præbendum tibi exemplum, ut in afflictionibus tuis ad orationem confugas.

2. Cor. 1.

Quod ad tertium, video quod eam dirigat ad Patrem, nam dicit, *Abba pater, Pater enim misericordiarum est, & Deus totius consolationis* ut vocat eum Apostolus. Quæ duæ conditiones magnam iniiciunt spem impetrandi.

Luc. 22.

Quarto, video modum orandi expressum esse, quod flexis genibus primum deinde pronus in terra orarit. *Positis genibus* habet textus, *procidit in faciem suam* demonstrans hoc gestu, inclinationeque corporis submissionem animi, qua orationem fundebat. Modus internus deinde est, quod fecerit ex intimo corde, ut geminatio illa ostendit. *Abba pater*, Abba enim idioma Syriaco idem est, quod Pater. Eundem affectum clarius declarat pronomine MI, quod adiunxit & Lucas. Itaque dixerit. Pater, Pater mi. Idem convincit denique tertio iterata eadem petitio. Cæterum animaduerto illud quoque, quod affectu non fuerit eoque prouectas, ut præcise & absolute petitionem

illam

illam proponeret, sed semper conditionem adiunxit si ita placeret: vt liquet ex particula conditionali, *Si, si possibile est, transeat.* Et iterum: *Orauit, si fieri posset, transiret.* Et *Si tu, transfer calcem hunc à me.* Ac deniq; *Si non potest hic calix transire.* Idem demonstrant exceptiones in qualibet repetitione factæ. vt *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Item. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et. *Fiat voluntas tua.* Non ergò absolute petiuit oppetere mortem, sed tantum habuit simplex desiderium, & voluntatem conditionatam.

Quo ad fines Christo in hac oratione propositos attinet, Arbitror primum fuisse, vt demonstraret se veri hominis instar mortem perimescere. Secundum, vt in ærumnis per fugium haberemus ad orationem, sicut paulo ante disertis verbis docuerat. *Exemplum dedi vobis, vt quem admodum ego Ioan. 13. feci, ita & vos faciatis.*

Quo deniq; impetrationem attinet, animaduerto, inquit Intellectus cum nō exauditum in primario suæ petitionis capite, vt non moreretur. Et per modum Colloquii ad Dominum dicit. *Constabat tibi decretam à Patre æterno factum te debere mori, quod non poterat mutari,*
cur

Psal. 21.

cur ergo contrarium petiui? Etiam si constaret, tamen petiui. nec idē insipienter egi, vti pronunciauit Dauid. *Clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Id enim feci ad declarandam meæ carnis infirmitatem, atque hoc impetraui. Nec cogitandum est meam voluntatem fuisse paternæ contrariam, quia ille animæ meæ potentias cohibendas non putauit, quo minus naturales suas exereret actiones, haud secus, quam si purus homo fuisset, sicut tu: & idcirco plus me conformaui cum eius voluntate, immò simulatq; ab angelo indicatum est bibendū calicem, ipse quoque mihi se conformantes libenter amplexæ sunt mortem sicut tunc demonstrauit discipulis dicens, *Surgite, eamus.* id est, obuiam procedamus inimicis. Atque ego ipse, percunctatus eos, quem quærerēt, dixi. *Ego sum.* Et cum cordis gaudio subieci, *Si ergo me queritis, sinite hos abire,* meque in eorum manus tradidi. Atq; hoc sufficiat de prima oratione. Transeamus ad alteram.

PATER MI, *si non potest hic calix transire, nisi bibam illum fiat voluntas tua.* In quam sic ratiocinatur Intellectus. Aduertere videor, tam voluntatem Christi, quam partem sensitiuam sensim in sua petitione ter-

giuer-

giuerfari. Cum enim hanc secundam orationem per negationem inchoet *Si non potest hic calix transire*, videntur cœpisse intelligere petitionem fore impossibilem. Vnde voluntas dicit. Propositum facio me nunquam primæ meæ sententiæ constanter inhæsurum, vt primum aduertero non consentire cum opinione superiorum.

TERTIA & vltima oratio fuit, vt dicunt Euangelistæ. *Et orauit tertio eundem sermone, dicens.* id est, eandem orationem, eandem conditione prolata, qua duæ priores. & quod eo amplius est, eodem tenore animi constantis, sic vt neq; tristitia, neque pavor, licet maximus rationem turbarint, vel effecerint vt orandi formam mutaret.

SUPEREST nunc expendere visitationes, quas Dominus inter orandum, fecit ad discipulos tres. Circa quas Intellectus discutens ait *Video cum, cum in prima inueniret dormientes, illos in commune reprehendisse. Sic non potuisti vna hora vigilare mecum?* ad commonefaciendos forte superiores, vt non abstineant à reprehensione etiam eorum, quos sibi habent carissimos, quando delinquant. Disco quoque ex B. Marco speciatim reprehensum fuisse Petrum his verbis. *Simon dormis? non potuisti*

Una hora vigilare mecum? ad informandos Prælatos maiores vt quando opus est, etiam reprehendant prælatos inferiores. Aduerto præterea, inquit intellectus, correctionem hanc fuisse verè fraternam, suauè, & amoris plenam, nam addidit. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* hoc enim in sensu multi sancti hæc verba exponunt. atque si dixisset. Explorata mihi fuit spiritus vestri promptitudo ex promissis paulo ante factis, & quamuis iam inueniam vos dormientes, tamen id non tribuo ignauitæ, sed naturali carnis vestra imbecillitati. Memoria huc adfert non

Gal. 6. ab simile consilium ab Apostolo Paulo in epistola ad Galatas datum, dum ait *Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, corripite eum in spiritu lenitatis, considerans seipsum, ne & tu tentemur.*

De altera visitatione, considero & ammiror, quod scribit S. Mattheus *Et venit iterum, & inuenit eos dormientes, & reliquit illis iterum abire.* Quia in re noto Domini mansuetudinem singularem: nam cum paulo ante eos arguisset, videretq; non profuisse, naturaliter viderur debuisse in eos commoueri, & grauius coarguere, & tamen contrarium facit, ne verbo quidem eos commouens

pellans, contentus pœna verecundię quam ipsi sibi accersierant. nam B. Marcus dicit. *Et ignorabant, quid responderent ei*, nempe egregiè pudefacti. Vnde dicit Voluntas, statuo & ego quoties animaduertero superiorem abstinere à reprehensione meorum lapsum non abuti eius mansuetudine, sed meipsum pudore suffundere: similiter si contingat mihi curam iniungi aliorum, vbi notaro subditum pœnitentiam duci de errore commisso, ne afflictionem addam affecto, rem dissimulabo.

De postrema denique visitatione ita scribit S. Matthæus. *Tunc Venit tertio ad discipulos suos, & dicit illis. Dormite tam & requiescite.* Quę verba, inquit Intellectus, plus admiror, quam superiora. Iam enim Dominus non solum tacet, sed etiam eos inuitat ad quietem, vt exponit S. Augustinus.

RESTAT vt quædam verba textus seruetur. Primum est, *SURREXISSET*, Ex quo colligo, ait Intellectus, Dominum totam orationem perfecisse genibus flexis, maxime si verum sit non aliam sententiam verbis illis, *procidit in faciem suam super terram*, esse subiectam, quam quod in genua prolapsus vultu in terram inclinato

B b 2 oraue-

orauerit, non quod vultu terram attigerit. De quo dicit voluntas. Magno pudore suffundor ad hoc exemplum. nam simulatq; me dolor aliquis renum pupugerit, aut genua oblanguerint stans vel sedens orationem prosequor. ALTERVM verbum consideratione dignum, est pronomen SVVM, quod Euangelistæ semper in hoc facto adiungunt, quando mentionem faciunt discipulorum, vt. *Egressus est cum discipulis suis.* Et rursum. *Secuti sunt eum discipuli sui.* Et illud *Tunc venit tertio ad discipulos suos.* Et deniq; *Et dixit discipulis suis.* Qua forma loquendi declarauit, quanto amore eos complecteretur, conuenienter dicto illi. *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* In finem, vel quia dilexit vsque ad mortem, vel quia summo amore.

Iohan. 13.

Luc. 22.

SVB finem orationis tertiæ, teste Luca, apparuit angelus Domino vt eum confortaret. *Apparuit autem illi, inquit, angelus. de celo confortans eum.* In qua verba discurrens Intellectus, ait. Hanc confortationem totam credo extrinsecus factam, vt v. c. varias adduxerit rationes, cur æquo & libenti animo oppetere mortem deberet non autem robur addiderit internæ voluntati. Firmiter enim in animo suo confitoe-

rat pati & mori excluso omni gaudio, excepto solo beatifico. Et ideo hortabantur non vt alacriter, sicut alii martyres, sed vt fortiter omnes cruciatus perferret.

Finis imponitur hoc Colloquio. Optimum Domine tibi gratias referre pro tantis cruciatibus, quos propter me perpeffus es, sed quomodo potero eas exprimere verbis, cum mente earum magnitudinem concipere nequeam? Deceui ergo silere, precando bonitatem tuam, vt me tuarum participem facias pœnarum, quo eas probans rectius comprehendam earum atrocitatem, atq; ita etiam ardentiores gratias agam,

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

Bb ; EX-

EXEMPLVM MEDITATIO-
nis secundum applicationem
sensuum.

C A P. VII.

PRO hac Meditatione commoda mihi
visa est materia de CRUCIFIXIONE Do-
mini; in eam enim incidunt multa, quæ oc-
casionem præbent reipsa practicè ostendē-
di, quæ tradita sunt supra de documentis,
vt apparebit in discursibus. Primum sit,
quod principium crucifixionis iam in me-
ditatione alia fuerit propositum, longisq;
discursibus tractatum in c. 2. in verba à Do-
mino nostro de cruce dicta. *Pater dimitte
eis, &c.* Incipit ergo dicere Auris. Videor mi-
hi audire Dominum verba illa voce admo-
dum plena & sonora pronunciantem. Atq;
hic subsistit Auditus: Ad quæ per motus in-
tellectus breuem discursum facit dicens.
Vnde ego colligo, quod magno affectu ca-
ritatis enunciarit: experientia enim docet,
à nobis voce clara & sonora proclamari,
quod ex corde intimo proferimus. Vnde
natū vulgare prouerbum apud quosdam,
ore paruo vel angusto postulata, quæ ex-
guo affectu postulantur. Vbi voluntas pro
suo

suo profectu spirituali illico dicit Ego vero
 primum non paruo verecūdiæ affectu tan-
 gor, q̄ sæpenumero dum interfui in Eccle-
 siis, vel congregationibus publicæ orationi
 vocali, vel ex incuria, vel radio ore non re-
 sponderim, sed mente tantum, vel etiam
 neutro modo, aut si voce responderim id
 feci tam submissa, vt vix ipse eam audie-
 rim Deinde propono me in posterum sem-
 per responsurum voce conuenienter clara
 & firma, etiam si forem defatigatus, idq̄; ad-
 imitandum meum magistrum IESVM, qui e-
 tiam si tam malè tractatus esset, tam grandi
 voce inimicis deprecatus est veniam. Atq̄;
 hoc modo inducat ad amplectendam quo-
 que exhortationem Ecclesiæ dum me
 admonet, vt laudes diuinas plena voce de-
 cantem. *Sit laus plena, inquit sit sonora. Ve-*
rum conabor addere & attentionem, &
gaudium, vt hortatur eadem verbis sequē-
tibus. Sit iucunda. sit decora mentis iubilatio.
 Quod cōsulit quoq̄; B. Bernardus suis mo-
 nachis sermone 47 in Cantica. *Vnde vos,*
inquit, moneo dilectissimi, purè semper ac
strenuè diuinis interesse laudibus, strenuè
quidem, vt sicut reuerenter, ita & ala-
criter Domino assistatis, non pigri, non somno-
lenti, non oscitantes, non parcentes VOCIBVS,

non praeidentia Verba dimidia, non integra transientes, non fractis & REMISSIS Vocibus muliebri quiddam balba de nare sonantes, sed VIRILI, et dignum est, sonitu & affectu Voces sancti spiritus depromatis. Hæc satis sint de Aure. Cæterum antequam transeamus ad oculos visus es mihi monendus, actionem sensus, licet breui expediatur, & discursum quoque intellectus habeat breuiem, voluntatis tamen functionem posse prolongari in quærendo profectu suo, sicut iam feci in hac actione Aurum. Veniamus ad oculos.

Diximus supra, si meministi, B. Bonaventuram credere Dominum hæc verba protulisse, dum cruci in terra adhuc iacenti affigeretur. Oculi itaque mei aspicientes sanguinem è manibus, pedibusque Christi erumpentem, testantur illum fuisse rubicundum & purpureum magis quam sit corallii vel chrysolithi. Quo colore motus Intellectus breui discursu dicit. Hinc colligo certo vehementissimum fuisse dolorem, quem sensit in tormentis. Nam cum fuerit complexionis temperatissima, quæ Tactui magnum addit vigorem, non potuit non profluere sanguis, nisi naturalibus omnibus perfectionibus suis constans
inter

inter quas est rubedo. Qua re inflammata voluntas ait. Statuo & ego, me dum disciplinam facio guttulam aliquam sanguinis expressurum, vt indicium aliquod præbeam imitandi Christi, vt cum illi placuerit, desiderio accendar profundèdi totum per sanctum martyrium, sic vt ne vlla quidem guttula in me permaneat.

Transeundo deinde ad sensum GUSTVS imaginare te degustare vinum Domino porrectum, quod S. Marcus vocat *myrratum*, & S. Matthæus addit, *cum felle mixtum*, & deprehendes esse valde amarum, ac proinde labra ad aliquod tempus amaritie imbui. Vbi intellectus hunc instituit discursum. Porrectio vini aromatici facta crucifixis introducta est quondam ad confortandum illos, quo constantius dolores ferrent, at meo IESV doloribus obruto illud permiscet felle, vt cum vini efficacia labia amaritudine insolita affligerent. Atque hic voluntas sentiens se animatam ad patiendum. Propono, inquit me diuina opitulante gratia primum fortiter, deinde etiam alacriter, quodcumq; euenerit, potum amarum vini, vel alterius rei assumpturum, memoremq; futurum huius amarissimi poculi Christo porrecti: pudoroque

suffundar, si contingat me vel conqueri de qualitate potus mihi à maioribus meis appositi, vel etiam condire aromatis, vt magis palato arrideat. Memini enim S. Bernardū in Apologia ad Guilielmum Abbatem acriter, sed meritò inuehi in Monachos, qui melle, aliisq; specieb. aromaticis sua vina, vt dulciora essent, condiebant Atq; hic mihi in mentem venit commune facere te, vetitum non esse sensum vnū multis obiectis suis, si sint in meditatione plura, applicare. Quare & hic poteris digitum intingere, in diuinum illum sanguinem, applicare ori, & inexplicabilem inde exugere suauitatem, vt scribitur de Manna. Quo adducit Memoria id, quod Ecclesia de sanctissimo sacramento canit. *Panem de celo prestisisti eis, omne delectamentum in se habentem.* Quae verba etiam si propriè de specie panis intelligantur, extendi tamen à nobis possunt ad sanguinem sub specie vini existentem Quo discursu dulcedine quadam perfusa voluntas. Propono, inquit, me sedulam operam nauaturum, vt delibem suauitatem sanctae communionis, ac nominatim sanguinis quoties sum sacris, si sim sacerdos, operaturus.

AD ODORATVM exercendum, cum nullus
hic

hic occurrat odor materialis (nisi credamus, quod quidam sancti perhibent, fuisse in monte Caluarie ingentem foetorem ex crucifixorum cadaueribus) accipiemus odorem metaphoricum & spiritualem (id enim monuimus in documentis posse fieri) Is autem sit ipsa oratio à Domino pro crucifixoribus facta Imaginor itaq; me astare cruci, & percipere orationis illius suauitatem, cuius odor in cœlum ascendens tam gratus fuit æterno Patri, vt mox postulata impetrarit. In cuius confirmationem Memoria profert illud B. Pauli ex epistola ad Hebreos. *Exauditus est pro sua reuerentia. Heb. 5.* Deinde testimonia Euangelistarum, nam de Centurione dicit S. Marcus. *Videns autem Marc. 19.* Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait. *Verè hic homo filius Dei erat. Et S. Matthæus de militib. Et qui cum Matt. 27.* eo erant custodientes IESVM, & viso terramotu, & ea qua fiebant, timuerunt valde, dicentes. *Verè filius Dei erat iste.* Deniq; S. Lucas loquens generatim de iis qui sub cruce manserant. *Et omnis, inquit, turba eorum, qui simul ad Luc. 23.* rant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant percutientes pectora sua reuertebantur.

SUPER-

SUPEREST Tactus. Imaginor itaq; me
 manibus diuinum sanguinem tangere, &
 sentire esse calidissimum, & quasi bulli-
 entem vbi Intellectus breuiter sic discur-
 rit. Calor hic etsi oriatur ex naturali calo-
 re cordis, qui erat ob bonitatē complexio-
 nis admodum viuus, tamen augetur
 maiorem in modum ex vigore diuinæ cari-
 tatis sancto pectori inhaerētis. Iam si amor
 naturalis vim habet, vt ferunt calefaciendi
 carnem cordis, cor autem sanguinē, multo
 magis id faciet amor diuinus, vt expertus
 est B. P. FRANCISCVS XAVERIUS, qui dicto a-
 more tantopere aestuabat, vt non pateretur
 veste pectus contegi, & idcirco saepe mani-
 bus subleuabat. vti solet depingi. Memoria
 hic dicit. Memini me legisse in quodā scri-
 ptore, primitiuæ Ecclesiæ fideles tam mul-
 tos actus heroicos in vita sua demonstrasse,
 & cum summo animi gaudio atrocissima
 supplicia, mortemq; ipsam tolerasse, quod
 eorum pectoribus recēs ille Christi sanguis
 adhuc efferuesceret: ac in intellectu quidē
 ob assiduam contemplationem passionis
 Christi, in corde verò per ardentissimum a-
 morem. Quo sanguine vel amore plenam
 quoq; animam habuisse videtur B. RODOL-
 PHS AQUAUIUA in noua Indiarum Ecclesia,
 cura

*Horat. in
 de vita.*

cum ad primum impiorum gentilium impetum qui eum trucidarunt, in genua procciderit, & veste propria manu in humeros deducta ceruicem nudam cædendam præbuerit. Vnde inflammata voluntas, dicit. Et ego idem facere conabor, assiduè frequentando Meditationes de hoc sanguine amoris plenissimo: Sic enim sperare potero, intellectu sc considerationibus instructo, & voluntate amore inflammata, eosdem vel saltem similes effectus secuturos, nempe vt fortiter sustineã omnes cruces & ærumnas, quas necesse erit pro mea vel proximorum sanctificatione sustinere. Et hæc sufficiant de applicatione sensuũ quoad obiecta propria. Sequitur vt dicamus de applicatione eorundem ad obiecta communia primaria, & secundaria.

Atq; initio factò à QUANTITATE, applicando Oculos ad sanguinem è manibus & pedibus profluẽtem, dicit. Video magnam esse sanguinis copiã. Quod si & manus humi delapsum sanguinem circum circa pergerent tãgere, inuenirẽt, totũ solum cruore imbutum. Vbi sic breuiter ratiocinatur Intellectus. In flagellatione, nec palmę manuum, nec plantæ pedũ flagellis tactæ fuerãt, sed quia amor diuinus eum impulerat,
vt opta-

vt optaret toto corpore pati, noluit palmas
& plātas esse à passione immunes, & sic im-
pleretur, quod scriptum est ab *Isaia. A plan-*
ta pedis vsq; ad verticem non est in eo sanita.
Ingens autē sanguinis copia profluxit, tum
quia in manibus pedibusq; sunt venæ per-
multæ, & bene magnæ, tum quia admodum
erant laxa eorū vulnera. Clavis enim crassis
cruci affixus fuit, vt pōdus corporis de sub-
limi pendētis commodius possent sustine-
re. Et hic Memoria suggerit vaticinium in
Canticis. *Manus mea distillauerunt myr-*
rham. Vbi intellectus ait veram effici dō-
ctrinam S. Augustini asserentis, Christum
abundantissimè complesse, quicquid de il-
lo fuit conscriptum. Nam verè nunc potest
dicere. Manus meæ pluunt, & non tantum
stillant, imò flumen effundūt nō iam myr-
rhæ, sed sanguinis. Vnde statuo, inquit vo-
luntas, quoties mihi deinceps vel manibus
laborandum, vel pedibus iter conficiendum
erit ex superiorum mandato, promptè & a-
lacriter id perfecturum, etiam si multo mi-
hi sudore constaret, non dicam, & sangui-
ne, quia dignus non sum.

Quod ad Figuram attinet, imaginor me
oculis videre, & manibus tangere, Figuram
& superficiem ligni crucis nō fuisse, omni-
no pla-

Isa. 1.

Cant. 5.

no planam, sed quasi rotundā, eo quod improbi illi noluerunt operam locare in ea laeuiganda. Deinde fuisse angustio- rem humeris Christi. Vbi, inquit Intellectus, breuiter ita contem- plor. Necesse est Figurā hanc auxille Christi dolores, nam praterquam quod non possit trahi illi utpote rotundæ commodè incumbere, corpore ob natura- lem grauitatem, & imbecillitatē ex flagris acceptam valde depresso, humeri etiam ad crucis latera dilacerati sunt, qui nouum & specialem conciliarunt dolorem. Vnde vo- luntas incensa, clamat animum sibi esse de- inceps ad aciores corporis diuerberatio- nes faciendas, etiam si humeris inde dolor accessurus sit maior, modo ne lacerentur ut facere solebat S. Catharina Senēsis, & bo- nus P. N. Paulus Achilles. qui crebro sic in hostē domesticū desueiebat, ut aliena ope indigeret in induēdis, exuendis q; vestibus.

NUMERVM, quoties Dominus suam ora- tionē repetiuerit, possunt percipere Aures, sicut & numerum ictuū, dum Christus cōfi- geretur clauis. Oculi quoq; possūt numerū clauorum perspicere. Sed & Tactus poterit dinumerare ossa corporis vi magna suis iū- cturis in crucifixione emota & distracta, se- cundū illa verba Dauidis in persona Christi dicta

Psal. 21. dicta. *Dinumerauerunt omnia ossa mea.* Et Intellectus subito ratiocinatur. Cogito piè eum ter repetiuisse, istam orationem Vulgo enim dicitur. Ter transit. Quod enim semel tantum dicitur, non semper serio, vel ex corde dicitur. Et ideo si v c suspirantem aliquem audiamus, attendimus an idem secundo faciat, & si tertio repetat, credimus eum serio suspirare & magno aliquo dolore angere. Ac fortasse etiam S. Paulus idcirco ter Dominum rogauit, vt à sua tentatione liberaretur, indicans se serio id postulare. Similiter de clavis, quos videt esse tres, concludit, acerrimos dolores Christum perpeßum, cum vterq; pes vno transfigeretur clauo. Quod si quatuor fuerint, colligit atrociorẽ fuisse Christi cruciatum, quia si separatim singuli pedes trãsfixi sunt, diuturnior fuerit afflictio. Quod idem colligit ex diuisione ossium. Et pro proprio profectu, de primo dicit voluntas. Toties petam mihi cõdonari noxam ab inimico, quoties necessarium erit, vt credat me toto peccatore id flagitare. De secundo, statuo me libenter latiturum in cubiculo, & non hac illac uè discursurum, quoties mihi fuerit mandatum, vel vtile iudicauero ad rectè orandum, nisi aliud dicter caritas propter inuãdos p̃oximos.

2. Cor. 12.

Pro

Promotu imaginor me conicere oculos
 in os Domini; notareq; quod illud moueat,
 crebriusque ob frequentem respirationem
 aperiat. Videor mihi quoque audit eun-
 dem motum miserabilem percipere. Sed &
 sacrum illud pectus intueor, & cor vehe-
 menter palpitans, propiusque me adiun-
 gens, dum cum omni reuerentia manum il-
 li admoceo, videtur sensibiliter reperi-
 ti. De quibus motibus dicit Intellectus. Ego
 plane iudico motum illum non solum oriri
 ex summis corporis doloribus verum sigil-
 latim etiam ex contractione pulmonum,
 quam effecerit, tum situs ille corporis supi-
 ni in cruce haerentis, tum violenta bra-
 chiorum extensio, vt peruenirent ad crucis
 foramina ante facta, qua quidem fecerant
 vt pectoris thorax tanto fortius calcaret
 pulmones. Hi vero ita impediti, quo minus
 naturali suo motu attraherent aerem ad re-
 frigerandum cor, coacti sunt breuibus, &
 crebris respirationibus, ne suffocaretur cor,
 ordinarias longiores supplere, quod ingen-
 tem illi & dolorem & angorem creauit. In
 cuius confirmationem, Memoria affert il-
 lud Psalmi 142. *Anxiatus est super me spiri-
 tus meus, & in me turbatum est cor meum.*
 Et subiungit Intellectus. Cogito, cum fla-
 gella
 Cc

gella non potuerint proximè pertingere ad cordis substantiam noluisse Dominum illud immune à cruce relinqui in sua sacra passione, & ideo permisisse illas corporis distractiones in cruce, dum clavis configeretur, quo dictam agoniam, & oppressionem cordis pateretur. Vnde; pro meo spiritali profectu constituo, inquit voluntas, petere à Domino Deo, vt præter displicentiam quam mihi largitur ob lapsus factos, etiam dolore aliquo affici sinat meum cor, vt discam quadantenus compati cordiali eius dolori. Et quia locutio est quædam species Motus, de qua inter alia quæri potest, sitne longa an breuis, videor mihi auditu percipere Dominum verba orationis pro suis crucifixoribus cunctanter & quasi syllabatim pronunciare, eorum instat qui longè, multo interiecto intervallo, aliquem alloquuntur, vt intelligantur. Vnde propono, ait voluntas, me orationes vocales recitaturum tardè, & in choro versum sociorum non anticipaturum, & in Litaniis non ante dicturum *Ora pro nobis* quam sacerdos sanctum enuntiarit.

Pro QUIETÈ imaginor me conicere oculos meos in oculos Domini, qui perpetuo eos retinuit apertos, & in cælum sine villo palpe-

palpebrarum motu defixos. Quare excitatus Intellectus ait. Illa oculorum defixio, laculentum indicium est, orationem ab eo summa mentis attentione, & intentissimo voluntatis affectu fufam. Nam & immotos solemus tenere oculos, cum attentè in præclarum aliquem virum aciem oculorum dirigimus, maximè si beneficium aliquod ab eo expectemus: sicut claudus direxit in S. Petrum & S. Ioannem, cum dicerent. *Respice in nos* ubi subiungit textus. *At ille Act. 3.* *intendebat in illos, sperans se aliquid accipiturum.* In confirmationem huius Memoria adducit illud Psalmi. *Sicut oculi Psal. 121.* *seruorum in manibus Dominorum suorum: & sicut oculi ancilla in manibus domina sua, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Cogito ergo, subiicit Intellectus, **I E S V M** crucifixum sic oculos in cælum defixisse, quasi conspiceret Patris cælestis binas manus, liberalitatem scilicet & misericordiam, quarum beneficio sperabat se gratiam condonationis pro suis crucifixoribus impetraturum. **V B I** voluntas commota, Propono, inquit, apud animum meum, me oculos firmos retenturum in Meditatione, vel oratione vocali, vt quando recito

Officium diuinum ex obligatione, vel deuotione, nec patiar eos huc illucque vagari. Idem dico de quauis alia oratione, siue memoriter eam dicam, vt Rosarium, siue ex libello legam.

Cogito, inquit Oculus, redire ad contuendum pectus Saluatoris, & videre quem admodum cordis palpitatio cessarit: missaque manu in pectus experior iam esse quietum. Vbi Intellectus omnino, inquit, mihi persuadeo incredibilem pati angustiam Dominum, quia non nisi in grauissima cordis oppressione solet cessare pulsus illius. Et voluntas dicit. Et ego volo operam dare quieti & cessationi à peccando; id enim Dominus per Isaiam clamat. *Quiescite agere peruersè.* Et hæc satis sint de sensibilibus communibus primariis, pergamus ad secundaria.

Isa. 1.

Et incipiendo à DISTANTIA imaginor me intueri illam, quæ erat inter manus & pedes Saluatoris, clauorumque foramina iam in cruce facta; deinde propius accedentem attingere crucem, & manu metiri distantiam; tantamque deprehendere, vt opus fuerit plurimum extendere brachia pedesque Christi. Vbi Intellectus. Colligo, inquit, per certissimam consequentiam, id factum

factum esse cum acerbissimo, maximoque Domini cruciatu, sic prorsus, ut verè compereret illi epithetum, quo Isaias eum appellat, *Virum dolorum*, id est, doloribus plenissimum: quo sensu dicimus hominem boni temporis, qui totum se tradit recreationibus & ludis. Videor quoque mihi videre oculis, manibusque tangere, quanto spatio diuulsa sint ossium commissuræ. De quo Intellectus ait: certo mihi persuadeo in illa diuulsione Dominum nostrum gravissimos sensisse dolores, quia ultra corporis extensionem; & nervorum deductionem acerrimam, accessit commissurarum distractio, quæ afflictionem novam ei pepererunt. Et voluntas pro suo profectu, dicit. Pœnitet me magnopere & pudet, quod aliquoties frustra indoluerim me à caris meis amicis abstractum: statuoque me deinceps nolle talibus de causis, etiamsi ad promovendum spiritum prodesse, contristari. Cuius confirmandi ergo Memoria profert reprehensionem à Domino factam discipulis, quod tristarentur, dum loqueretur de suo ab illis discessu: confido enim id in maius meum gaudium cessurum, sicut cessurum suum discessum prædixit discipulis dicens *Expedi vobis, si ego vadam*. Et rursus. *Ioan. 16.*

Cc 3

Iterum

*Iterum autem Videbo vos, & gaudebit cor ve-
strum.*

Pro situ cogito me (vt piè quidam con-
templantur) me cernere Christum iam
crucifixum prouum in terra, eo quod mili-
tes inuertissent crucem, vt clauorum acu-
men incuruarent. Idemq; me proxime affi-
rentem Tactu percipere. Quo in situ, in-
quit Intellectus, video noui doloris accen-
sionem factam ex grauissimo crucis tergo
incumbentis pondere, quo panè suffoca-
batur. Aduerto & motum, quo manibus pe-
dibusque iam fixis atrocissimo cum crucia-
tu ad se attrahit crucem, vt vere ad litteram
compleatur in eo illud *Isaia. Torcular cal-
caus solus*. Ideo enim vtitur verbo actiuo, vt
indicaret se à tergo premere torcular fan-
ctæ crucis. Noto etiam à cruce calcari co-
ronam capitis circa collum, & contra a ter-
ra eandem premi in frontem. Fingoque me
videre, quemadmodum mouendo caput,
nunc in vno latere, nunc in altero humi ni-
tatur. Et intellectus repetit. Rursum ardenti
hic affectu multa patiendi rapior. Voluntas
vero dicit. Ego quoque sponte me tribus
sanctorum votorum religionis clauis volo
cruci affigere, & me mortificare in iis, quæ
maio rem carni dolorem conciliant, siue sint
cilicia.

Isa. 63.

cilicia, siue disciplinæ, modo accedat Patris spiritualis consensus.

DISCONTINUAM cogito deinde me aspiciere totam Domini nostri pellē, tota enim erat flagris fauciata & lacerata. Idem quoque Tactu mihi probare videor, dum manum hinc inde curi admoueo. Unde colligo, ait Intellectus, magnos fuisse Christi in carne dolores. Docent enim Philosophi dolorem non esse aliud, quam diuulsionem continui. Et voluntas dicit. Ingenti se pudore affici, quod in tam crebris corporis diuerberationibus, ne semel quidem huc vsque pellem discontinuarit. Videor quoque videre & tangere CONTINUAM brachiorum, pedumq; distensionem vsq; dum perueniatur ad clauorum foramina. Unde concludo, ait Intellectus, hunc vehemētissimum fuisse dolorem, quia nulla intercedente interruptione, vel relaxatione, quæ moderari solent cruciatū, fuit continuata. Quare propono, addit voluntas, me nunquam quoque interrupturum vel remissurum cursum disciplinarū consuetum, quantumcunque me dolore afficiant.

ASPERVM & intueor, & manibus tracto delicatum corpus IESV, cutis enim lacerata in rugas contracta est, tum ex aeris

Cc 4 frigo-

frigore, tum quia corpus erat nudum. Vnde, inquit Intellectus, animaduerto nouum oriri cruciatum, eo quod partes pellis à vicinis longius auellantur Memoria opportunè huc adfert vaticinium Davidis in persona Christi dicentis. *Factus sum sicut ster in pruina.* vter enim, vt & aliæ pelles contrahuntur, si nocte serena aeri exponantur, & maximè si pruina tingantur, Imaginor item me videre, tangereque clauos, sed vnde quaque admodum asperos. ex incisionibus. Vnde, inquit Intellectus, ad auctos confitero dolores Domini duplici nomine. Semel, quia lentius clauis fuerint per manus & pedes in lignum impacti. Iterum, quia grauius dilacerarint membra illa cum nervis suis, maximè cum scelerati illi non prius madefecerint, vel vnixerint clauos, vt facilius citiusque infigerentur.

Contra aspicio funes, quibus distensio peracta est, fuisse læues & glabros, ac bene perunctos. Quod, inquit Intellectus, eo factum autumo, vt distensio illa celerius & facilius perficeretur: consideroque eadem arte creuisse dolores, videmus enim dolorem minui, si distensio vel interrumpatur aliquando, vel lentius exerceatur. Itaque hoc consilium securi sunt, vt sibi minuerent laborem,

borem, & Christo auferent dolorem. Nam, ut apparet in quibusdam picturis, qui attraherent pedes, funem ad pedem crucis protraxerunt, inde à tergo sursum vsque ad crucis verticem, pedibus suis in transuersas crucis partes firmatis magna vi ad foramen clauorum adduxerunt. Quocirca, inquit voluntas decerno in posterum, quoties laborum aliquorum socios habuero, me leuiiores facilioresque aliis attributurum, mihi vero plures & grauiiores reseruatorum omni deposita querela, sicut hic video fecisse bonum meum IESVM.

LIQVIDVM, & tenuem oculis meis videre videor sanguinem pii IESV ex manibus, & pedibus profluentem, manibusque contingere. Sed pariter aduerto eum statim densari, & quasi ex frigore congelascere. Vnde colligo, inquit Intellectus, temperatam fuisse Christi complexionem, quæ tam delicatum sanguinem generarit, deinde coniicio, quam immensus & intensus eius fuerit in nos amor, nam cum in moribundo homine etiam intra corpus soleat frigescere & quasi congelari, tamen in Christo mansit calidissimus & renuissimus, ob cordis fornacem igne diuini amoris æstuantem. Vnde voluntas. Pudet, inquit, me

- tarditatis & torporis in cultu pietatis Christianæ & erga proximos charitate: videor-
que vnus ex illis, de quibus loquitur Dauid,
Psal. 118. *Coagulatum est sicut lac cor eorum*, nempe
ex defectu huius ardentis amoris. Atque
ideo renouo propositum, me serio deden-
di huic sancto Meditationis exercitio, nam,
Psal. 83. vt idem testatur, vim habet hunc sacrum
ignem accendendi. nam ait. *In meditatione
mea exardescet ignis* Prorsusque confido,
cordi meo euenturum, quod suo euenisse
Psal. 21. idem testatur his verbis. *Factum est cor meum
tanquam cera liquecens in medio ventris mei.*
Atque ita factum LIQVIDVM non sibi soli
seruiet, sed effluet ad commodandum aliis,
Prov. 5. sicut faciendum consuluit Sapiens. *Deri-
uentur fontes tui foras, & in plateam aquas
tuas diuide.*

Animaduerto præterea sanguinem hunc
esse TRANSPARENTEM, ob suam clarita-
tem, qua emanat ex venis: licet condensa-
tus postea nigrescat, & fiat OPACVS. Qua-
lem transparentiam, ait Intellectus, credo
insinuari ab Ecclesia, quando de sanctis
Apoc. 7. Innocentibus sic loquitur. *Isti sunt, qui
Generunt de tribulatione magna, & lauerunt
stolas suas, & DEALBAVERUNT eas in sangui-
ne agni.* Indicant enim hæc verba sanguinẽ
qui.

quidem rubicundum fuisse, sed tam clarum & pellucidum, ut candorem animarum sanctarum non tolleret. Idem forte S. AGNES innuit, cum dixit. *Sanguis eius ornauit genas meas.* Quia hic pretiosus sanguis, vere animabus iustis confert candorem puritatis, & caritatis rubedinem. Hoc ornamentum pro facie animæ suæ eligere deberet eorum voluntas, qui vanissimè se occupant tantum in ornando corporis vultu, & in eo gloriantur.

DE PULCHRITUDINE corporis Christi, hic nihil occurrit contemplandum, quia à *planta pedis, ut loquitur Isaias, usque ad verticem non est in eo sanitas.* Itaque conuertemus nos ad animam, quæ permansit, ut semper, venustissima. Isa. 1.

Cum enim pulchritudo consistat in debita proportione membrorum, colorumque conuenientia, imaginabor mihi, videre me potentias animæ omnes, tam inferiores quam superiores, tum inter se, tum cum anima ipsa proportionatissimas, ordinatissimasque. Quod ad colores attinet, persuadeo mihi me conspicerem in ipsa animæ essentia iustificantem gratiam, in voluntate caritatem, ac denique omnia cœlestia charismata & dona: erat enim
plenus

Ioan. 1. plenus gratia, vt est apud B. Ioannem & veritate, ac speciatim in sacrosancta humanitate eius eminebat vnionis personalis cum diuino verbo gratia, merito vt appellatus à

Psal. 44. propheta fuerit, *speciosus pra filiis hominum.* Conuerto itaque me ad considerandam, Corporis DEFORMITATEM, obseruoque totum esse immutatum, lacerum, liuidum, contusum, squalidum, & sigillatim cernovultum ita deformatum, vt completa sit

Isa. 53. propheta Isaia dicentis, *Non erat ei aspectus, neq; decor & verè potuerint dicere, Nec reputauimus eum.* Voluntas autem pro suo commodo spiritali dicit. Constituo apud animum meum deinceps studiosius operam dare pulchritudini animæ interiori, quæ in virtutum acquisitione & incremento posita est. De corpore vero sollicitus ero, vt potius deformem ieiuniis, vigiliis, disciplinis & aliis cum Dauide alicubi dicentis. *Genus*

Psa. 103. *mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum,* id est, propter vnguenta, aliasq; delicias illi subtractas.

Quod ad SIMILITVDINEM pertinet. Videtur, dicit Oculus, mihi Christus quoad externam corporis figuram simillimus agno Paschali. Primo quidem, quatenus fuit excoriatus: secundo, quatenus affatus, Pender enim

enim sanctæ crucis ligno, velut ex veru; nec
 alium colorem refert quam assati ad ignem
 agni, ac proinde & illi similior est, quam
 cuique homini vestibus nudato. Ideoque
 verè de eo dixerunt Iudæi. *Est dissimili nobis.* Sap. 28
 Finis sit cum hoc Colloquio.

Etiamsi vos, ò Iudæi, locuti sitis de dissi-
 militudine vitæ & morum, & verissimum
 sit vos vitæ & moribus ab eo distare, tamen
 adiungo, quod vos illum vobis dissimilem
 feceritis in corpori, sicut ab eodem dissi-
 miles vos fecistis in anima. Ego autem, Domi-
 ne mi, adiuuante tua gratia, cupio & in cor-
 pore & anima, tibi esse, quoad fieri potest,
 simillimus. Quam vt copiosissimam
 mihi largiaris, supplex
 rogo.

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

FOR.

FORMVLA MEDITANDI
orationes vocales.

C A P. VIII.

QVONIAM Magistri rerum spiritualium consulere solent iis, qui desiderant attentè & cum fructu recitare orationes vocales, vt de iis meditentur, sicut B. P. N. Ignatius in Exercit. Spirit. libro præscribit, existimaui formulam aliquam illius præscribendam. Materiam autem loco assumpsi Dominicam Orationem, eo quod ab omnibus creberrimè soleat recitari.

Principio ergo facto à prima voce, Pater, Intellectus discurrens dicit Hoc nomen appellatiuum est, & considero conuenienter hanc appellationē tribui Domino Deo. Primo, quia si patrem vocamus eum qui nos generauit, & corpus tantum produxit, quāto magis Pater erit Deus, qui solus creauit animam nostram longè corpore nobiliorem. Itaq; Patrem vocamus, quia contulit nobis esse naturale. Secundo, quia nobis impertit etiam esse supernaturale, nempe gratiam iustificantem, de quo esse loquens

Ioan. 3.

cu Nicodemo dixit. Nihil quod renatum fuerit

ex

in aqua & Spiritu sancto, nō poterit intrare in regnum caelorum. Longius vero progrediens ait, si Deus est pater, sequitur nos esse filios secundum illud Apostoli *Accepistis spiritum Rom. 8.* adoptionis filiorum, in quo clamamus, *Abba pater.* Et Ipse enim spiritus testimoniū reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Atque hic prorumpit in colloquium cum anima sua prae laetitia summa gestiente, in hanc formam, Maximum quaestū fecisti anima mea, quod cognoueris Deum tibi esse Patrem, inde enim sequitur nobilissima dignitas, nempe te esse eius filiam, ut testatur S. Ioannes *Ut filij Dei nominemur & simus.* Et quod multo magis mirandum est, in tua potestate esse positum, ut ius filiae consequare. *Dedit eis,* inquit B. Ioannes, *potestatem filios Dei fieri.* Ama ergo illum, & honora, cum per os *Mal. 26.* Malachiae dicat. *Si Pater ego sum, & ubi est honor meus?* Ac confidenter ab eo necessaria postules, quia uti benignus Pater tibi succurret. Idecirco siquidem apud B. Lucam dixit, *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filij vestri, quanto magis Pater vester caelestis, dabit spiritum bonum petentibus se.* Satis de prima voce, transeo ad secundam

NOSTER Considero, inquit, intellectus, quod

quod dicat *noster*, non *meu*. Primo, quia Deus omnes nos generavit & regeneravit. Secundo, vt innueret, quod debeamus nos mutuo fraterno amore prosequi, quandoquidem sumus eiusdem Patris filii. Atque hic aliud Colloquium habet cum anima mea, tibi tot esse fratres, & in cœli patrimonio cohæredes: cum enim ille sit infinitus & immensus, infinitos quoque homines superabundanter locupletare potest: imo hoc amplius exultare debes; quo enim copiosior numerus extiterit beatorum, hoc cuiusque beati gloria magis augetur. Ibi siquidē quilibet tantopere gaudet de aliena, ac de propria gloria. Atque hæc merces propria est amoris fraterni, quem in hac vita coluerunt, & facit omnia communia.

QUI ES IN CŒLIS Intellectus primum indagat conditiones huius ciuitatis, vel palatii, & inuenio Dauidem eam appellare gloriosam. *Gloriosa*, inquit *dicta sunt de te ciuitas Dei*. Et alibi dicit, se ex solo atrii cœlestis aspectu animo defectum fuisse. *Defecit anima mea in atria Domini*. Et consequenter subdit. Credo sic proptus esse, quandoquidem inferioribus domiciliis, quæ sunt quasi illius stabula, hoc est, huic mundo tam nobilia laquea-

Psal. 86.

Psal. 83.

na concessit, innumeris, splendidissimis-
que ornata stellis Longiu que pergens, vi-
deo, inquit, speciatim alicubi descriptam
huius habitationis pulchritudinem sub no-
mine ciuitatis. *Ciuitas*, habet Apocalypsis, *Apoc. 12*
inquadro posita est. & erat structura muri e-
ius ex lapide iaspide? ipsa vero ciuitas au-
rum mundum, simile vitro mundo. & fun-
damenta muri ciuitatis omni lapide pretioso
ornata Et duodecim porta, duodecim mar-
garita sunt per singulas, & singula porta e-
rant ex singulis margaritis, & plateas ciuita-
tis aurum mundum tanquam vitrum perlu-
cidum. Et ciuitas non eget sole, neque lu-
na, ut luceant in ea: nam claritas Dei illumi-
nauit eam, & lucerna eius est agnus, & porta
eius non claudentur per diem: nox enim non
erit illis.

Atque hic prorumpere in Colloquium
cum variis sanctis; initio facto à Dauide.
Merito ô gloriose rex amore huius patriæ
incensus, desiderioque citissime eo perue-
niendi dixisti. *Quando veniam, & apparebo Psal. 41.*
ante faciem Dei? Tu queque Apostole
Paule desiderasti cito vita hac defungi, vt
eo pertingeres, *desiderium habens dissolui, Phil. 1.*
vt scribis ad Philippenses, *& esse cum Chri-*

D d sto.

sto. Sicut & tu propheta sancte doluisti in
 Psal. 119. *dicens. Heu mihi quia incolatus meus pro-*
longatus est, habitavi cum habitantibus Ce-
dar, mihi incola fuit anima mea. Et conuer-
 sus ad mundanos ait. Infelices filii Adæ,
 qui huius mundi illecebris immerfi, men-
 tis oculos non attollitis ad contemplan-
 das immensas delicias, quibus sancti in o-
 mnem æternitatem perfruuntur in cœ-
 lo: & quamuis ad breue tempus nonnun-
 quam attollatis, tamen iam capti dulce-
 dine corporalium, spiritualia bona con-
 temnitis, vobisque euenit, quod Salomon
 Provs. 22. in Prouerbiis scribit, *Anima saturata calca-*
bit sanum.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM Intel-
 lectus assumpta similitudine de filiis car-
 nalibus, accommodat spiritualibus dicens.
 Quemadmodum illi, dum sunt probi & vir-
 tute præditi conantur euehere parentes suos
 ad honores: sic hi omnibus viribus contem-
 dere debent, vt nomen sanctum Dei patris
 ipsorum ab omnibus creaturis celebretur
 & glorificetur, quia omnium est creator,
 Pater & patronus. Longiusq; procedens, di-
 cit. Video id imprimis præstari debere à me
 ad meâ & proximi salutē, conuenienter illi
 admo-

admonitioni Christi. *Sic luceat lux vestra co-* *Matt. 5.*
ra hominib. Et videant opera vestra bona, &
glorificent patrem vestrum, qui in caelis est.

Vnde persuasa voluntas dicit. Scio bona
 proposita hoc meliora esse, quo sunt ma-
 gis de particularibus rebus. Itaq; propono
 me deinceps sermonem cum aliis habitu-
 rum de rebus spiritualibus, monente id S. Pe-
 tro in priore epistola. *Si quis loquitur, tan-* *1. Pet. 4.*
quam sermones Dei.

Secundo, statuo me
 adiuuante diuina gratia ad gloriam DEI
 directurum omnes actiones meas, etiam
 eas, quæ ad tolerandam vitam sunt neces-
 sariæ iuxta consilium Apostoli. *Sive editis,* *1. Cor. 13.*
sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia

in gloriam Dei facite. Tertio, & ultimo co-
 nabor eum, etiam in omni conuersatione
 glorificare, secundum illud monitum B. Pe-
 tri. *Conuersationem vestram inter gentes ha-* *1. Pet. 24.*
bentes bonam, Et in eo quod detrectant de vo-
bis, tanquam de malefactoribus, ex bonis ope-
ribus vos considerantes glorificent. DEVM.

ADVENIAT REGNUM TVVM. Videtur
 mihi, inquit Intellectus, nomine Regni
 posse intelligi & Regnum Gratia in hac vi-
 ta, & Glorie in altera. Pro primi declaratio-
 ne Memoria profert locū B. Matthæi, *Qua-* *Matt. 6.*
rite primum Regnū Dei, Et in istis aeternis. Hoc



enim regnum gratiæ consistit in iustitia, pace & gaudio, teste Apostolo *Regnum dei, inquit, non est esca & potus, sed iustitia, pax & gaudium.* De quo Christus apud B. Luc. dixit. *Regnum Dei intra vos est.* Pro altero autem Regno Gloriæ propono, ait Memoria S. Paulum, qui vno coniectu oculorum in illud factus, vnaque guttula delibata, in has laudes erupit. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Et alibi dicit. *Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Itaque aestuans desiderio illius possidendi cupiebat cito dissolui, eoque potiri. Atque hic transi in Colloquium cum voluntate dicens. Quoniam, quæ tua imbecillitas est, non es tam feruens, vt cupias dissolui, & paradisi delitiis perfrui, saltem conare aliquando saltem degustare illud permentis cogitationes secundum exhortationem Apostoli. *in cor. surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quaerite, & ibi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

FIAT VOLVNTAS TUA. Oramus, inquit Intellectus, hac petitione, vt à nobis hominibus fiat voluntas Dei in terra, haud secus quam ab Angelis præstatur in cælo, non modo

modo in prosperis rebus, sed etiam in ad-
 uersis Et hic Memoria subministrat exem-
 plum Iob qui illam compleuit in aduersis *Iob. 1.*
Dicens. Dominus dedit, Dominus abstulit.
Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit no-
men Domini benedictum. Exemplum Chri-
 sti, qui in oratione in horto, licet dixisset. *Matt. 26*
Pater si vis, transfer calicem hunc à me. Ta-
 men subiunxit. *Non mea, sed tua voluntas*
fiat. Ac voluntas dicit. Tanto amore Deum
 complector, tantoque desiderio teneor per-
 ficiendi eius voluntatem, quanto teneri
 possem lautum cibum degustandi, ut pos-
 sim imitandi Christi causa cum ipso dicere.
Meus cibus est, et faciam voluntatem patris
mei. Longius inde pergens Intellectus, in- *Ioan. 1.*
 dagare conatur qualis sit Dei voluntas Et
 Memoria illi proponit illud B. Pauli ex
 priore epistola ad Thessalonicenses *Hac est 1. Thef. 4*
Voluntas Dei, sanctificatio vestra. Hic igitur
 Intellectus deberet primum inquirere, in
 quo consistat hæc sanctificatio. Secundo,
 quibus mediis paretur Tertio, quibus mo-
 dis impediatur, & alia similia, quæ breuita-
 tis causa omitto. Contentus sum sola pæ-
 factione malitiæ voluntatis propriæ, quæ
 se opponit diuinæ, & sic describitur. Volun-
 tas propria est, qua quis vult quippiam,

Dd 3 quod

quod non est voluntati diuinæ consentaneum, nec prodest proximo, sed tantum sibi. Vnde merito B. Bernardus eam appellat *Leporam*, quoniam sicut hæc leprosum reddit abominabilem, sic voluntas propria reddit nos abominabiles Deo, & dignos qui aeterna damnatione puniamur. Et ideo dictus Sanctus subiunxit. *Tolle propriam voluntatem, & infernus non erit.* Atque hic prorumpit in colloquium contra propriam voluntatem, dicens. O maledicta, & centies millies maledicta propria voluntas apage te hinc, & in infernum domum tuam recede, quo soles tuos sequaces protrahere.

PANEM. Hac voce, ait Intellectus, primo postulamus panem materiale pro corpore sustentando, deinde quicquid ad sustentationem eandem pertinet, vt vestes, domicilium, &c. conformando se Apostolis, qui solis illis erant contenti, vt testatur *2. Tim. 6.* S. Paulus, cum ait. *Habentes alimenta, & quibus vegamur, his contenti simus.* Vnde voluntas. Propono, inquit, me, ad quemcunque statum peruenero, operam daturum, ne inexplebili opum cupiditate irretiar, vt immunis reddar à laqueis diaboli. *Qui enim soluat diuites fieri, teste Aposto- lo, 10.*

1. Bid.

lo., *incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli.*

Progrediens porro Intellectus sic loquitur. Sicut Saluator, dum sanitatem restitueret corporibus, conferebat & animis eorundem salutem, imo illam ad hanc referebat, uti ipse declaravit in paralytico, cui sanato dixit *Sanus factus es totus, tam noli amplius peccare.* Sic nunquam credā Dominū hic tantū voluisse docere ad sustentandum corpus petendū esse panem, sed voluisse etiam peti panem animæ spirituales. Qui mihi nunc videtur posse esse duplicis generis, ut unus sit verbi Dei, alter verò sacratissimum corpus Domini in S. Eucharistia. Pro confirmatione prioris panis Memoria illud apud B. Matthæum suggerit Non in solo pane *est* homo, sed in omni Verbo, quod procedit de ore Dei. Circa quod ita discurret Intellectus Qui manducat ex hoc pane libenter, potest probabiliter credere se esse in numero prædestinatorum. dicit enim Christus apud B. Ioannem, *Qui ex Deo est, Verba Dei audit.* Contra timere debet se esse in numero reprobōrū, qui non manducat libenter, quales erant, quibus dixit Dominus. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

Dd 4 Huius

Huius panis inopiam, inquit Memoria, minatus est Dominus populo suo per os prophetæ Amos dicentis. *Ecce dies venient, dicit Dominus, emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aqua, sed audiendi Verbum Domini.* Et prosequens intellectus discursum de altero pane S. Eucharistiæ dicit. Non voluit nos docere Dominus, ut hunc panem peteremus; magnam enim illius copiam reliquit, tum instituendo sacerdotes, qui eum usque in finem mundi consecrarent & conferrent, iuxta promissionem illam. *Ego ero vobiscum & que ad consummationem seculi:* tum quia ipse inuitat nos ad illum accipiendum dicens. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Immo, apud B. Ioannem comminatur mortem æternam ab illo abstinentibus. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Verum voluit nos postulare abundantem gratiam, ut dignè illum sumere possemus. Quibus rebus persuasa voluntas ait. *Statuo me magno ardore animi à Deo petiturum, ut mihi hoc auxilium non deneget, quo frequentatione sacræ communionis illa donorum cœlestium, quam secum affert, copia perfrui queat.*

NOSTRYM.

Amos 8.

Matt. 28.

Prov. 9.

Ioan. 6.

NOSTRUM. Iusti, inquit Intellectus, merito hunc panem possunt appellare *Nostrum*, licet Christus appellarit suum cap. 9. *Venite comedite panem meum*. Cum enim simus facti eius fratres, omnia quoque facta sunt communia.

QUOTID ANVM. Hoc, ait idem Intellectus, æquè de corporali ac spiritali pane intelligendum est Itaque uti ille quotidie, sic hic quotidie sumendus esset. De contrario enim vsu dolet Cyprianus, scribens. *Si quos* Ambr. l. 5. de sacr. c. 4.
tidianus est panis, cur post annum illum sumis? Hic Memoria dicit. Memini B. Mat. Mart. 6.
thæum, ubi alii quotidianum, legere, *super-*
substantialem. Qua varietate, ait Intellectus, indicatur & huius cœlestis panis nobilitas, & supernaturalis effectus gratiæ, quæ confert dignè communicantibus.

DIMITTE NOBIS *debita nostra*. Duo debitorum genera, ait Intellectus, debemus Domino Deo. Primum est culparum & iniuriarum delinquendo S. D. M. illatarum, quas præcipuè hic petimus nobis condonari: easque libenter & promptè condonat, rectè ad petendū comparatis, imo nonnunquam præuisa tali præparatione condonat, antequam petatur, sicut David de se confitetur. *Dixi, inquit, confitebor aduersum me* Psal. 38.

D d s inin-

iniustitiam meam Domine, & tu remisisti impietatem peccati mei. Ad exercendam hanc condonationem culpæ Dominus instituit sancta sacramenta, & speciatim S. confessionis. Alterum genus debitorum, continet pœnas luendas in Purgatorio pro peccatis venialibus, vel pro mortalibus, per penitentiam condonatis, idq; in compensationem damni, quod conati sumus inferre delinquendo Quod autem Deus nullo damno afficiatur, inde prouenit, quod damni capax non est. Has igitur pœnas etiam petimus nobis remitti.

SICVT & NOS *dimittimus debitoribus nostris.* Adiunxit, inquit Intellectus, hanc similitudinem Dominus precationi, vt intelligeremus efficacissimum medium ad exorandam nostrorum peccatorum à Deo veniam esse, si vicissim inimicis nostris iniurias nobis illatas remittamus. Id enim disertè apud B. Lucam monuit dicens. *Dimittite, & dimittimini.* Et, *si non dimiseritis hominibus, Pater Vester dimittet vobis peccata vestra.* Idq; confirmat parabola serui, qui vbi obtinuit maximi debiti condonationem à Domino, nihil tamen exiguo debito conferui remittere voluit. vbi S. Augustinus. *Quoniam Veritas, inquit, mentiri non potest, qui ad tam magnum*

Luc. 6.

Matt. 6.

Matt. 6.

magnum tonitruū non expergiscitur, non dormit, sed mortuum est. Atq; hic Voluntas. Propono. ait. me abrasurum, immò radicitus è corde euulsurum omnem rancorē vel auersionē ex quacunq; etiā minima offensa exortā, vt Dominus quoq; vicissim me liberet omni debito culpæ & pœnæ. Spondeo etiā me operam daturū, vt quos nouero inter se esse discordes, quamprimū reconcilientur.

ET NE NOS *inducas in tentationem.* Id primum pro certissimo habeo, inquit Intellectus, Deum neminem tentare ad damnum nostrum. Sed Memoria contra obicit verba B. Iacobi dicentis. *Ipse neminem* Iac. 1.
tentat, itaque videtur superuacanea hæc petitio. Vbi intellectus ad duo illa concilianda Deprehēdo, inquit, B. Iacobum loqui de tentatione noxia, nam paulo ante dixit. *Deus enim intentator malorum est.* Secundo hac petitione non peti ne tentationes veniant, sed ne veniant noxiæ, vt indicat verbum *INDUCAS*. Nam tentari, quando abest periculum lapsus, salutare est & proficuum. *Qui non tentatur*, ait Salomon, *quid* Eccl. 34.
scit? Et ideò tentatione pulsati, gaudere potius debemus, quam dolere. *Omne* Iac. 1.
gaudium, inquit B. Iacobus, *existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.*

Perimus

- Petimus ergo, ne succumbamus tentationibus, sicut Christus petere docuit discipulos in horto dicens *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*. Progressus autem longius Intellectus adiungit. Tentationem multū prodesse, quia si ei resistamus, adauget meritum & gratiam in hoc mundo, & gloriam æternam in cælo, ut docet idem B. Iacobus. *Beatus Vir*, inquit, *qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam gloria, quam promissit Deus diligentibus se*. Vbi Memoria appositè ait. Memini S. Paulum in altera ad Timotheum epistola propter expugnatas tentationes magna sibi promittere. *Bonum*, inquit, *certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitia, quam reddet mihi in illa die iustus iudex*. Intellectus vero longius procedens, animaduerto, inquit, Deum, ut bonus exitus tentationum sit, eas temperare secundum cuiusque vires. Vnde B. Paulus *Fidelis*, ait, *est Deus, qui non permittit vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum*. Tamen cognosco, addit, necessarium esse, ut nostris quoque partibus non desimus. *Non enim coronabitur*, ait Apostolus idem, *nisi qui legitime certauerit*. Sicut & ipse

& ipse suis non defuit, dum scribit, *Castigo 1. Cor. 9. corpus meum, & in seruitutem redigo.* Quæ castigatio non tantum posita est in diuerberando corpore, sed etiam in cauendis omnibus rebus, quæ possint nos à virtutum studio arcere, sicut ibidem Apostolus declarat exemplo certantis in stadio. *Omnia, inquit, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem & corruptibilem coronam accipiunt, nos autem incorruptam.* Vltimo adducit Memoria dictum Iob *Militia est vita hominis super terram.* Ex quo, inquit Intellectus, colligo necessarium esse in hac vita sustinere tentationes, si vita sit militia, vel vt versio alia habet, ipsa tentatio. Confirmorque in hac sententia, dum confidero ex duobus primariis tentatoribus, vnum semper nos circuire, nempe diabolum, vt tradit S. Petrus, dum ait. *Fratres, sobrii estote, & vigilate, quia aduersarius vester, diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Patulis vnumquemque oculis semper obseruat, vt quamprimum aliquem ad tentationem dispositum offenderit, ei insiliat. Sicut fecit Domino nostro in deserto agenti: quem simulatque aduertit esurire, cum ieiunasset 40. diebus, & 40. noctibus, vt habet

B Mat

Iob. 7.

1. Pet. 5.

Matth. 4. B. Matthæus, tentauit in gula. Et idcirco credo mox post vocem *ESVRIIT* adiungi *Et accedens tentator dixit ei. Si filius Dei es, dic Et lapides isti panes fiant.* Tamque frequens apud illum est tentandi vsus, vt nomen obtinuerit tentatoris, vii & hic appellatur. Alter Tentator est caro nostra, vt indicat *B. Iacobus. Vnusquisq;* inquit, *tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Qui tentator non est extra nos, vt dæmon, sed intra nos, vel potius nos ipsi.

SED LIBERA nos à malo. Considera, ait Intellectus, posse malum aliquod contingere, primo corpori nostro, vt morbos, persecutiones, & similia: deinde personis nobis sanguine iunctis, vt patri, matri, filiis, cognatis, &c. Adhæc potest nobis malum aliquod euenire quoad fortunas, famam & existimationem. Quibus omnibus obrutus fuit *B. IOB.* In altera vita quoque possumus puniri pœna vel Purgatorii, vel inferni. Ab omnib. igitur his malis petimus à Domino liberari.

Ad similitudinem huius Meditationis quilibet poterit de quauis alia oratione meditari. Hæc autem concludi potest hoc Colloquio. Domine, quia docuisti nos
istam

MEDITANDI PARS II. 43^r

istam Orationem, vt disceremus modum
quem in re aliqua à te postulanda tenere
deberemus oro te vt gratiam mihi largia-
ris eam cum debita attentione & re-
uerentia instituendi, ac petita
impetrandi.

PATER NOSTER.

AVE MARIA.



PARS.